M. TULLII CICERONIS

ORATIONES TRES

DE LEGE AGRARIA.

RECENSUIT ET EXPLICAVIT

AUG. WILH. ZUMPTIUS.

BEROLINI
APUD FERDINANDUM DUEMMLERUM
MDCCCLXI.

Quam operam nuper in M. Tullii Ciceronis oratione pro Murena recensenda atque explicanda collocavimus, eandem nunc in orationibus de lege agraria posuimus: idem fuit utriusque editionis consilium, similia prope adiumenta. Itaque speciem ac rationem habet haec editio eandem atque illa. Praemittitur enim brevis de lege Servilia agraria et de praesidiis edendi disputatio, qua praeparentur quasi animi et ad Ciceronem intelligendum et ad nostram, quam in eo illustrando consumpsimus, curam aestimandam. Angustior est illa pars, qua quae ex historiae Romanae auctoribus cognosci non possent, supplevimus, copiosior haec, quia non modo singulari casu accidit, ut harum orationum fortuna per ipsam antiquitatem uberius quam ullius libri Tulliani explicari possit, verum etiam codicum ms. consensus ac dissensus diligentiorem expositionem postulabat. Sequuntur verba Ciceronis, quibus proxime subiicitur diversitas editionis, quam Io. Georg. Baiterus in Tullianorum operum editione Orelliana altera curavit, quam diversitatem non gloriandi causa quod magna est addidimus, sed ut commodo eorum, qui nostra cognoscere cuperent, consuleremus, quibus conferendi ac conquirendi molestiam imponi nolebamus. Tum subest annotatio ne-

que aenigmatum similis neque iusto longior, sed modica ut in tanto argumento atque ad illustrandum, non ad onerandum scriptorem instituta, in qua quae notiora erant, brevissime indicavimus, multa, quae si argumentis demonstrarentur, longiorem expositionem requirerent, quasi de tribunali pronuntiavimus, pauca nec fere nisi unum locum, quem excursu peculiari illustravimus, pluribus sumus persecuti. In qua annotatione quod criticae disputationis quantum opus erat cum interpretatione coniunximus, quae natura inter se connexa sunt, oratione aut loco seiungere nec voluimus nec potuimus. Quodsi quibus, quamvis brevitati studuerimus, tamen nonnunquam copiosiores esse videbimur, excusent primum orationem, dum infamem illam notarum Latinitatem fugit, aliquando excurrisse, deinde videant, quod redundare videatur, ne optima de causa sit positum. Cum enim viros doctos, a quorum interpretatione discederemus, nominare fere noluerimus, multa saepe qui superiorum notas cognorit, necessaria esse intelliget. Cogitent etiam illud, quantopere nunc Latinitatis cognitio subtiliorque quasi interpretatio perire coeperit, ut quomodo quidque scriptor dixerit et qua de causa et quo orationis tamquam colore, pauci iam satis curent: ex cuius rei ignoratione plurimi de rebus ipsis errores consequuntur. Quo in genere ut animos eorum qui haec lecturi essent acueremus ac quid maxime animadvertendum esset significaremus, plura saepe dicere coacti sumus. In exitu denique libri commentarium criticum adiecimus, ad rationem nostram demonstrandam necessarium. Eum reliqui sane negligant, qui

litterarum nostrarum studiosi erunt criticamque artem discere cupient, quamvis fere librariorum erroribus ineptiisque constet, utilissimum esse cognoscent.

Atque haec quidem de editione nostra dicenda erant, orationes autem hae Tullianae ipsae ut placeant commendationis nostrae non indigent: quas in praestantissimis eloquentiae monumentis numerandas esse omnes consentiunt, antiquitas quidem hanc ob rem maxima admiratione afficere solebat, quod perfecit iis Cicero, quod nunquam alias in rep. Romana accidit, ut plebs suum ipsa commodum largitionemque sua causa susceptam contemneret. Neque dubium est, quin Cicero ipse has orationes plurimi fecerit: quas, cum actiones consulares separatim ederet, eximia cura elaboravit eloquentiaeque studiosis tamquam praeclara exempla proposuit. Hinc enim factum esse arbitror, quod si tales extarent quales sunt dictae, vix fieri potuit, ut incredibilis inter eam, quae Cal. Ian. in senatu et inter eam, quae paucis diebus post apud populum habita est, existeret similitudo. Adeo utroque tempore eadem et argumenti dispositione et sententiarum verborumque electione ac conformatione usus est. Quarum orationum alterutram qui penitus cognorit, nihil quod in altera ullam difficultatem habeat reperiet. Itaque nos, cum prioris, quae in senatu habita est, magnam partem iniuria temporum delerit, hanc rationem tenuimus, ut alteri, quae integra ad nos pervenit, quae apud populum habita est, interpretationem nostram adiiceremus, in priore tantum quae huius propria essent annotantes multo artioribus finibus contineremur. Discessimus igitur ab

reliquis interpretibus, qui quoniam temporis ordinem sequebantur, senatoriam orationem uberiore commentario explicarunt: nos cum utilitate movebamur, tum vero Ciceronis ipsius instituto, qui in contione maiore non modo vi atque impetu, verum etiam quia apud imperitos agebat, copia dicendi usus est. In toto autem commentario non hoc nobis proposuimus, ut stulte oratoris eloquentiam admiraremur, quaeque diceret, non tantum facunde, sed etiam vere dicta esse persuaderemus; verum artem eius in eo positam esse putavimus, ut alia taceret, alia efferret, alia leviter mutaret, omnia ad eorum, qui audirent, animos voluntatemque accommodaret: qua ratione qui Ciceronem examinabunt, et ipsius ingenium haud paulo rectius aestimabunt idque inanibus verbis fundendis contineri desinent dicere et iudicare ac veram eloquentiam intelligere docebunt.

Scripsimus Id. Febr. 1861.

DE LEGE AGRARIA SERVILIA ET CODICIBUS HARUM ORATIONUM BREVIS DISPUTATIO.

Duarum rerum expositionem hic locus postulat, primum ut de lege Servilia agraria, contra quam haec oratio habita est, deinde ut de codicibus, quibus usi sumus, editionisque nostrae ratione dicamus. Ac de lege quidem illa qualis fuerit et quam ob causam lata, institui poterit disputatio et longa et ad intelligenda Ciceronis verba prope necessaria; in quibus aestimandis interpretes historiaeque Romanae enarratores recentiores vix credi potest quantopere peccarint. Etenim olim cum Ciceronem summum oratorem fuisse scirent, laudabili sane admiratione capti dum oratorum et philosophorum virtutes confundunt, nisi quod verissimum esset, nihil ab eo dici posse sibi persuaserunt. Quare cum ille P. Rullum saepe dicat stultum fuisse, impudentem, suorum commodorum studiosum, reipublicae negligentem, legem ipsam non modo imperite compositam atque ineptam, verum etiam civitati inutilissimam, facile haec omnia viri docti crediderunt nec artem oratoriam in ea ipsa re positam esse viderunt, ut quae causa iure esset inferior, dicendo fieret superior. Quos talia cum magna verborum magnificentia explicantes Rullumque tamquam omnium mortalium inertissimum contemnentes si Cicero ipse audiret, rideret profecto ac contigisse sibi, ut non modo imperitae multitudini, verum etiam posteris nebulam obiiceret, miraretur. Contra nostro tempore extiterunt, qui Ciceronis non ingenium illi quidem, sed prudentiam reique publicae regendae scientiam despicerent: quem cum postremo ab dictatore

Caesare superatum esse viderent, quod temporum rerumque necessitate accidit, ipsius stultitiae tribuerunt eumque omnium, qui unquam rempublicam attigerunt, ineptissimum ac puerilem prorsus fuisse statuerunt. Quibus vituperandi voluntas non deest, eorum, quae ab Cicerone vel acta vel dicta sunt, iusta aestimatio magnopere deest. Quare magnus nobis disputandi locus relinqueretur, nisi de ipsa hac lege Servilia copiose ante hos decem fere annos in commentationum epigraphicarum Vol. I p. 262 dixissemus, ubi cum universam coloniarum Romanarum rationem persequeremur, et quae antecesserunt et quae evenerunt, abunde explicavimus. Neque accidit nobis, quod ipsum si acciderct, quodammodo excusaremur, ut quicquam ex iis quae tunc diximus, mutandum esse arbitremur, quaeque tunc in totius rei agrariae decursu meditando exposuimus, ea in harum orationum diligenti interpretatione confirmari intelleximus. Quae cum ita sint, etsi eruditum lectorem ad veterem nostram disputationem reiicere licebat, ne quid tamen hoc loco desideraretur, pauca de lege Servilia praemittere constituimus.

Lata igitur est haec lex anno 63 a. Chr. (691 ab urbe) M. Tullio C. Antonio cos. a P. Servilio Rullo, tribuno plebis, ignoto alioquin homine, nisi quod pecuniosum satis fuisse ex Plinii nat. hist. VIII, 210 discimus, qui patrem eius narrat primum solidum aprum in epulis apposuisse. Partium quidem studio magnopere eum fuisse deditum parum est probabile; nam nec ipse nec maiores posterive inter optimates aut populares nominantur, socer autem Valgius Sullanus fuerat nec fuisse se dissimulabat. Tribunatus tamen, quem gerebat, eum ut popularis esset admonebat: qui postquam anno 70 a Cn. Pompeio restitutus est, cum in alias actiones, quae antiquitus tribunorum plebis propriae fuerant, tum in leges agrarias incumbere coepit. Quare Cicero in alterius orationis exordio, ubi P. Rulli studia popularia nimis auget (c. 5, 13), ut auctoritatem eius elevet, se ipsum non minus popularem futurum exponit. Cui cavendum est ne temere omnia credamus: nos quidem Rullum intelligemus cum magistratu quem gereret, ad populares duceretur, animo fuisse optimatibus non iniquo. Etenim genus ipsum legis agrariae etsi

olim tribunorum plebis ita proprium fuerat, ut consules hoc unum sibi agendum putarent, ut cum aliis, tum huic agrorum publicorum largitioni resisterent, ex quo L. Sulla ad dominationem suam firmandam plurimas colonias deduxit militesque in agris publicis collocavit, commune quodammodo factum erat popularium et optimatium atque de una hac re certabatur, utrarum partium homines vel deducerent vel deducerentur. Poterat igitur fieri, ut lex agraria optimatibus utilis ferretur tribunosque, qui veterem hanc agendi rationem renovare vellent, ne frustra rempublicam perturbarent, hoc sequi oportebat. Atque hoc consilium Rullus habebat, ut partes, quibus civitas distrahebatur, inter se conciliaret nec tantum populares, qui oppressi ante erant, restitueret, verum etiam optimates in iis, quae sine omnium exitio eripi non possent, conservaret. Id adeo ex hac lege agraria aperte intelligitur, quod qui tenebit, non modo res Romanas, quales illo tempore fuerint, rectius perspiciet, verum etiam Cicero qua arte popularium studia eluserit videbit eloquentiamque eius summa admiratione afficiet.

Primum autem huius legis caput fuit de comitiis Xvirum, ut ii non solito more comitiis tributis, sed per septendecim tribus sorte ductas fierent. Id novum prorsus erat nec unquam in aliis magistratibus usurpatum, sed duabus de causis videtur esse excogitatum. Ex iis prior ad ambitum tollendum pertinet, qui omnia illo ipso tempore permiscebat, ut novae de eo leges ac longe veteribus severiores ferrentur. Quo in genere magni faciemus Rulli iudicium, qui quamdiu omnino vetera comitia constarent, tolli eum non posse quoque maiores poenae sancirentur, eo occultiorem ac perniciosiorem fieri perspexerit: qui si in annuis magistratibus creandis prohiberi non poterat, quanto molestior futurus erat in iis faciendis, qui per quinquennium maximis rebus essent praefuturi? Quodsi sorte pars populi duceretur eique comitia darentur, ambitum incertum atque invalidum fore apparebat admonebatque ad eam rationem ineundam pontificis maximi similitudo, qui religionis causa, quia a populo eum fieri nefas erat, a parte populi creabatur. Quo in exemplo si magnum erat periculum, ne omnino comitiorum potestas minueretur, vituperarent

id, qui tunc viverent Romani, nos nec vituperare nec consilium Rulli quod fuerit dissimulare poterimus. Alteram causam Xvirum per septendecim tribus creandorum hanc fuisse arbitror, quod Rullus eos universae plebi, non certis tribubus, quarum benevolentiam promissis emercati essent, consulere volebat. Nam quod Cicero orat. II, 7, 19 eos, qui populo agros assignaturi essent, ait oportere ipsos ante a populo accipere beneficium, dubito magnopere an aequi iudices laudandum esse putent, qui eos, qui idoneos homines in agris collocaturi sint, ab omni gratia aut ineunda aut referenda liberos esse oportere existiment. Ex eodem genere sunt reliqua, quae in comitiis Xvirum Cicero reprehendit orat. II, 8 et 9. Nam quod ipse Rullus comitiis praeesse cogitabat, idem in ceteris legibus fuisse orator concedit; quod Xvir fieri volebat, si per leges quasdam non licebat (ac dubitari tamen potest an licuerit), C. Caesar sane in consulatu XXvirum honore abstinuit, sed Gracchi sua lege imprimis fuerant IIIviri; quod praesentes profiteri iubebat, non ascriptum illud quidem in iis legibus erat, quae de aliorum magistratuum comitiis erant, sed certe, ne continuarentur magistratus, legis instar erat: nec profecto si Cn. Pompeium in Xviris esse nolebat, id non optimo consilio noluit, qui si factus esset, suis imprimis militibus consuluisset, ceteros cives neglexisset.

De potestate Xvirum, quam Rullus praetoriam esse iubebat, multum queritur Cicero, sed queritur non iustius quam de comitiis. Nam praetorio iure solebant cum agrarii, tum aliarum similium rerum curatores esse: de lege curiata hoc unum vituperat ille ornari ea homines nullis comitiis factos, ut eadem alios curatores usos esse intelligamus. Tum de auspiciis ornamentoque reliquo eadem omnia cum apud alios tum apud IIIviros Sempronios fuisse fatetur. Unum illud fortasse novum erat, quod quinquennii potestas dabatur; IIIviri quidem Sempronii dubium est an annui fuerint (App. bell. civ. 1, 9). At alii curatores certe plus quam annui erant ac didicerant tunc Romani annuis magistratibus nihil magni geri posse ideoque cum aliis, tum Cn. Pompeio complurium annorum imperium detulerant: nec tot colonias deduci, tot agros et emi et venire potuisse annuo spatio dissimu-

labimus. Cetera autem, quae de Xvirum intolerantia dicuntur, ex hoc quinquennio consequuntur, velut quod interim Xviros in iudicium vocari non licebat, in quo eodem iure omnes magistratus sunt, quod alios magistratus petere licebat (nam idem IIIviris Semproniis licuisse Fulvii Flacci et consulis ot eodem tempore IIIviri exemplum docot, App. bell. civ. I, 18): nec illud ab more recedebat, quod singulis iudicare permittebatur (orat. II, 13, 34), in quo eodem iure non tantum alii magistratus sunt, verum etiam omnes curatores agrarii versari solebant (cf. commentat. nostras epigraph. I p. 232). Eoque promptius erat auxilium, quia cum more Romano par potestas plus valeret, singulis etiam intercedere licebat.

Quod igitur in Xviris constituendis aut nihil novum temptatum aut, si quid temptaretur, id ad partium studia tollenda concordiamque civitatis pertinere intelleximus, idem in iis, quae de agro publico eiusque divisione praescribebantur, etiam manifestius apparet. Etenim cum omnis lex agraria in agro publico versetur, eius in Italia quidem Ciceronis tempore duo supererant genera, unum, quod vere in potestate populi Romani erat, in urbe ipsa multa loca publica et sacella, extra urbem ager Campanus, mons Gaurus, salicta ad Minturnas, via Herculanea, silva Scantia aliaque non multa, quae a Cicerone non nominantur. Alterum genus erat eorum agrorum, quos possessores contra leges Cornelias tenebant, sive eos non assignatos occuparant sive divisos ab Sulla contra ac lex iubebat, coemerant. Nam reliquus omnis ager, qui olim in Italia publicus populi Romani fuerat, vel legibus Semproniis aliisque deinceps divisus erat, vel, cum ab privatis possideretur, legibus post C. Gracchi interitum latis ita confirmatus, ut denuo moveri non posset, vel denique a L. Sulla, ut militibus provideret, consumptus. Quid igitur Rullus cum cives inopes in agris collocare statuisset, faceret? Num possessores Sullanos moveret? Iure id sine dubio facere poterat ac meliore adeo quam olim Ti. Gracchus veteres possessores decocedere iusserat: siquidem illi quicquid tenebant, ab hoste bello captum occuparant ac diutissime sine controversia tenuerant, hi crudelissimi belli civilis calamitate abusi erant necdum diuturni-

tate possessiones tuebantur. Poterant etiam illa, quae divites a colonis Sullanis contra leges coemerant, in divisionem assumi, multa etiam, quae Sulla facinorum causa sociis suis donarat, revocari, velut ipso hoc tempore de praemiis eorum, qui proscriptos occiderant, certatum esse constat. Haec etsi cum summa plebis laetitia moveri poterant, intelligebat tamen Rullus ita misceri civitatem universam similiaque pericula imminere atque ea, quibus Gracchi olim perierant. Itaque omnes possessiones Sullanas confirmavit, privatum esse iussit, quicquid aliquando a Sulla publicatum esset. Veruntamen iam paulum agri publici relinquebatur ad dividendum idonei nec fere quicquam nisi ager Campanus. Hunc igitur agrum Campanum cum campo Stellati Rullus civibus Romanis dividi iubebat, qui quinque fere milibus hominum sufficiebat. In aliis autem hominibus deducendis illud, quod in maiorum more positum erat, tenebat, ne quem extra Italiam deduceret. Nam cum olim Gracchus Carthaginem in Africa colonis frequentare coepisset, id non modo, quod potentiam eius frangere cuperent aut religione moverentur, sed hac imprimis de causa optimates impediverant, quod cives Romanos extra Italiam collocari reipublicae perniciosum esse arbitrabantur, nec reliqui deinceps, quamvis agri publici inopia laborarent, in provincias progressi sunt, Sulla quidem totus Italiae finibus continebatur. Quem cum Rullus imitaretur, coactus est emptionem invenire, qua nemo superiorum usus erat, quam a maiorum consuetudine abhorrere ipse Cicero orat. II, 25, 65 significat. Quae emptio si ita instituebatur, ut nemo depelleretur, nemo invitus vendere cogeretur, colonorum deductionem apparebat non partium studio, sed publicae alicuius utilitatis causa suscipi. Emptio autem ipsa ex vectigalium venditione apta erat, quam ne quis nimiam fuisse omnemque modum excessisse Ciceroni credat, haec affero. Triplex omnino venditionis genus Rullus constituebat, primum ea, quae anno 81 a. Chr. dominantibus iam optimatibus in magna inopia aerarii senatus venire iussisset, quibus rempublicam carere posse putasset, deinde ea extra Italiam, quae post annum 88 publica populi Romani facta essent, quae in Asia maxime sita erant, denique ea in reliquis provinciis, quae nominatim recenserentur.

Haec, quae extremo loco commemoravi, qualia fuerint difficile est dictu, sed existimo ea fuisse, ex quibus non multum pecuniae rediret, ut eorum detrimentum facile ferre posset aerarium. Multos enim agros publicos etiam post has venditiones in provinciis superfuisse, inde discimus, quod peculiari capite his vectigal imponi iubebat, eiusque rei iudicium Xviris deferebat. Adiungebat denique eam pecuniam, quam vel superiores imperatores cepissent needum in aerarium retulissent vel deinceps essent relaturi. Quid igitur Rullum in hac venditione constituenda secutum esse arbitramur? Nimirum hoc, ut opinor, aerarium posse constare sumptusque publicos tolerari iis fere reditibus, qui ante annum 88 fuissent: quicquid postea accessisset, id in agros, in quos plebs deduceretur, esse conferendum. Neque vero perpetua futura erat lex, ut quod ab hostibus captum esset, quotannis in coloniis consumeretur, sed quinquennio finiebatur, quo exacto rursus omnia in aerarium essent perventura: quinquennii autem reditus et quod in aerario superflueret, in eam rem conferri, ut plebs urbana in agris collocaretur ac civitas ex diuturna discordia conciliaretur, vituperari non oportebat. Itaque quae Cicero disputat, ad iram multitudinis excitandam aptissima esse concedemus, merito reprehendi non concedemus. Nonnulla quidem laudanda potius erant, velut illud, quod agros publicos provinciales Rullus venire iubebat in provinciis ipsis. Id erat sane contra morem Romanum irasceretur que multitudo, eripi urbi suae hanc dignitatem, sed gratissimum certe erat provincialibus, qui ita facile ipsi agros illos emere possent. In Sicilia enim propter Siculorum commodum scimus esse institutum, ut vectigalia non Romae, sed in insula ipsa locarentur.

Restat, ut de colonis, quos Rullus deduci voluerit, dicamus, de quibus Cicero tantum haec duo commemorat, primum dixisse illum, plebem urbanam esse exhauriendam. Itaque non hoc solum sequebatur, quod olim Gracchi secuti erant, ut Italiae solitudinem frequentarent, verum etiam illud, ut rempublicam, quae hominum egenorum multitudine corrumpebatur, emendaret. Atque aucta erat multitudo legibus Corneliis, quibus cum tot per Italiam homines omnibus bonis privarentur, tot oppida aut agris aut pecunia

multarentur, ingens pauperum copia imprimis in urbem confluxerat: quibus si Rullus populari ratione consulere voluisset, possessiones Sullanas sustulisset; nunc ita agere voluit, ut et Sullanos non violaret et veteres Marianos restitueret. Alterum de coloniis hoc Cicero commemorat, cum nihil de colonis in lege scriptum esset, dixisse Rullum, in dividendo agro Campano se ab Romilia tribu, quae ex rusticis erat, initium esse facturum. In quo Ciceroni, quod ab rusticis incipiatur, graviter vituperanti non credemus. Nam nec cui post Romiliam tribui fuerit divisurus constat, nec in rusticis tribubus non erant plurimi, qui agro carerent, nec denique optimus Italiae ager non commodissime iis potissimum, qui quia ruri vivebant, ad agrum colendum aptissimi erant, dabatur.

Quae cum ita sint, Rullum intelligemus magna et moderatione et prudentia in lege agraria ferenda esse usum, non tam partium studio ductum quam utilitate publica, ut rempublicam emendaret, partium contentiones minueret, quod urbi Italiaeque prodesset, perageret. Neque ex iis, quae hic voluerat, postea plurima effecta esse mirabimur. Nam etsi comitia Romae nunquam ad illam quam Rullus iusserat rationem mutata sunt, quae ipsa si essent mutata, unius potentia minus in republica opus fuisset, potestas tamen curatorum agrariorum fuit ea ipsa, quam Cicero Rullo obiicit. Praetoriae enim dignitatis XXviros, quos C. Caesar consul instituit, constat fuisse praetoriaque omnia habuisse ornamenta: postea vero ab imperatoribus summa potentia praeditis militari ratione per legatos coloniae deduci solebant. Deinde de agris Capuam deduxit coloniam Caesar in consulatu totumque agrum Campanum cum campo Stellati divisit; confirmavit idem omnes possessiones confirmaratque ipse ante eum Cicero in lege Flavia agraria suadenda (Cic. ad Att. I, 18, 6); imprimis autem accepit, quod Rullus invenerat, ut agri, in quos coloni deducerentur, pecunia publica emerentur. Eandemque rationem postea et IIIviri reip. constituendae et Augustus secuti sunt, qui etsi illud mutarunt, quod mutare iniquitate temporum cogebantur, ut et cogerent vendere nec pecuniam redderent, sed promitterent tantum, quantopere tamen nulla alia ratione

reipublicae subveniri potuerit videmus. Item necessitas dictatorem Caesarem movit, ut primus colonias civium extra Italiam conderet, ut milites suos, non plebem urbanam, deduceret imitatique sunt eius auctoritatem, qui post eum republica potiti sunt; sed haec, quae domini civitatis quod audebant excusabantur, quod Rullus non cogitarit, nemo reprehendet.

Veruntamen haec si ita erant, ut lex Servilia et moderata esset et reipublicae utilis, cur tamen ei Cicero restiterit quaeratur. Primum illa proficiscebatur ab popularibus, unde more quasi accidit, ut cum reliqui optimates, tum Cicero qui postquam summum honorem adeptus est, optimatium partes sequi statuerat, adversaretur. Deinde quamvis nihil tribueret nisi quod aut consuetum aut necesse esset, tribuebat tamen ea, unde nimia paucorum in republica existeret potentia, quae quam perniciosa esset libertati, paulo post C. Caesar docuit. Iam Cn. Pompeio et locis et tempore nimium imperium aegerrime optimates concesserant: quomodo igitur extraordinariam eiusdem generis potestatem pati poterant? Accedebat, ut M. Crassus, non immerito propter avaritiam imperiique cupiditatem suspectus, et ipse ille Caesar, qui haud dubie popularibus favendo suas opes evehere studuerat, occasionem novae legis ac largitionis expectarent, quibus optimates, nisi veterem rempublicam perire vellent, oportebat resistere. Ita Cicero etsi nec quanta mala in republica essent dissimulabat nec partem eorum coloniis deducendis tolli ignorabat, legem tamen hanc Serviliam impedire statuit idque tanta arte tantaque eloquentia effecit, ut et magnam apud suos auctoritatem adipisceretur, et bene dicendi gloriam ante collectam augeret ac confirmaret. Nam ipsi plebi, cui maxima largitio proponebatur, ut eam repudiaret persuasit. Quamquam etiam alia subsidia comparavit imprimisque L. Caecilium, tribunum plebis, movit, ut paratum se ad intercedendum ostenderet:*) quo facto P. Servilius

*) Redeundum nobis est h. l. ad Ciceronis verba orat. II, 9, 22 *a quibus ei locus primus invidiae et in praescriptione legis concessus est.* Nam in annotatione diximus legem Serviliam videri ab uno utique esse rogatam: reliquos tribunos plebis, qui legi faverent, assensum ascribendis legi nominibus suis significasse. Movebat nos et quod commemoravimus, quod unum ubique Rullum Cicero impugnat, et illud, quod tacuimus, quod *ascriptores* legis

cum certamen difficillimum sibi instare intelligeret, spem legis pro concordia civitatis componendaeque reipublicae causa susceptae abiecit.

Haec postquam de lege Servilia Ciceronisque in ea impedienda consilio disputavimus, non difficile existimamus, quae quoque loco orator dicit qualia sint, posse iudicari, ne aut, dum verborum praestantia capimur, temere assentiamur, aut, si dubitatio nostra moveatur, ab iis quae fuerunt, longe recedamus. Quamquam inter ipsas orationes est quoddam discrimen; nam prima in senatu habita est, reliquae duae apud populum; tamen prima et altera in eodem prorsus argumento versantur. Quare quod inter has duas intererit, id omnino inter senatoriam eloquentiam et inter eam, quae apud populum valebat, interesse statuemus. Argumentum idem esse diximus in utraque oratione, eademque est argumenti divisio ac dispositio, eadem etiam sunt saepe verba, quibus quaeque res significatur: sed multum tamen in tanta similitudine interest. Copiosior enim est contio, imprimis iis locis, qui ad populum commovendum apti esse videantur, velut de agro Campano (cf. orat. I, 7, 21), spirat magnificentius aliquid atque elaboratius clarioremque uberrimae eloquentiae imaginem exhibet. Quam cum conferrem cum priore, quae in senatu habita est, oratione, recordabar illud, quod Cicero

agrariae appellantur. Etenim non sic modo videtur factum esse, ut plures communiter magistratus unam legem ferrent, quorum nomina deinceps in praescriptione legis ponebantur (qua de re nuper praeclare disputavit Fr. Ritschelius in programmate universitatis Bonnensis anni 1860 p. XI), sed etiam hoc accidisse credo, ut, si qui scriptam iam legem cognoscerent ac sibi placere vellent significare, ii alicubi ad principium legis nomina sua ascriberent. Quos proprie *ascriptores* appellatos esse existimo. Sic equidem in lege illa centuriata factum esse iudico, qua Ciceroni reditus decretus est, quam P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia tulit (Cic. in Pis. 15, 35), quam eandem octo tribuni plebis (Cic. ep. I, 9, 16) vel omnes adeo magistratus (Cic. in Pis. l. l.) promulgasse narrantur. Quare utrum in hac lege Servilia factum sit, incertum videtur esse. Cui etiam si qui ascripsissent tantum, eos tamen in praescriptione legis a Cicerone poni potuisse video: etiam illud cogitari potest, et unum vel alterum simul cum Rullo tulisse, et alios ascripsisse. *Indicis* quidem formam regebat etiam brevitatis ratio neque omnes leges, quae a pluribus rogatae essent, ab pluribus vulgo nominatas esse censeo. Quare indicis mentionem lectione nostra perisse nemo aegre feret.

de orat. II, 82, 333 de genere deliberativo dicit: *Atque haec in senatu minore apparatu agenda sunt; sapiens enim est consilium multisque aliis dicendi relinquendus locus, vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. Contio capit omnem vim orationis et gravitatem varietatemque desiderat.*

Merito igitur hae orationes agrariae, quibus Cicero sine vi, sine armis, sine ulla reipublicae perturbatione maximo malorum metu cives liberavit, a Romanis ipsis laudabantur ac magni fiebant, citarique solent tamquam praestantissima Latinae eloquentiae monumenta. Velut magnifice Plinius nat. hist. VII, 116 praedicat: *Sed quo te, M. Tulli, piaculo taceam quove maxime excellentem insigni praedicem? quo potius quam universi populi illius gentis amplissimo testimonio, e tota vita tua consulatus tantum operibus electis? Te dicente legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt cives* cet. Quare insigni fortunae beneficio accidit, ut cum tot libri Tulliani perierint, hae orationes extent, quae quo pacto ex antiquitate ad nostram aetatem pervenerint, quibus codicibus traditae sint, qua ratione a nobis emendatae, deinceps disputabimus.

Edidit autem eas Cicero ipse, non statim ille quidem, sed paulo post consulatum, cum ex reipublicae negotiis requiesceret consulatusque sui acta illustrare coepisset. Qua de re sic refert anno 60 a. Chr. ad Atticum II, 1, 3 *Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut* σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος *videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur. Quarum una est in senatu Cal. Ian., altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta cum provinciam in contione deposui, septima qua Catilinam emisi, octava, quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit, nona in contione, quo die Allobroges indicarunt* (sic enim scribendum est), *decima in senatu Nonis Decembr.*

Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Hinc colligemus has Ciceronis actiones consulares editas esse triennio postquam habitae sunt; nam tanta eius erat cum Attico familiaritas tantumque huius omnium, quae ille scriberet, studium, ut nemo certe Attico prius cognosceret. Si autem triennium hae orationes apud Ciceronem antequam ederentur, latuerunt, apparet extare tales, quales se habuisse volebat videri, non quales habuit. Neque enim probabile est, cum tam diu illa apud se retineret, non multa eum ex iis, quae vel meditatus erat vel dixerat (nam quae dixit ab librariis excepta esse non negamus), mutasse, alia copiosius explicasse, alia omisisse, denique omnia in eam formam redegisse, quam tum maxime probaret. Quod nuper cum Tullianam orationem pro Murena illustraremus, docuimus Ciceronem non ea edidisse quae dixerat, sed partem eam, quae minus delectationis habitura esset, omisisse, aliam diligentius exornasse, idem in his orationibus consularibus multo etiam magis statuendum erit, et quidem duplici de causa. Primum enim in his Cicero ipse Demosthenis eloquentiam aemulatum se esse fatetur: quare omni eum cura putabimus quae dixerat, elaborasse eaque condere voluisse, quae sempiterna gloria digna essent. Deinde quoniam a multis propter ea, quae in consulatu gesserat, vituperabatur, cum actiones consulares ederet, providere eum oportebat, ne quid in iis esset, quod recte sibi obiiceretur, ut rationes consiliaque sua luculentissime exponeret: quam mutandi atque emendandi non exiguam occasionem fuisse arbitror.

Nec vero praetermittendum est, quod Cicero se corpus quoddam orationum consularium effecisse ait. Exemerat igitur has ex reliquarum numero separatimque in hominum manibus esse voluerat. Imprimisque excluserat iudiciales, propterea quod nimis contentiosae essent; neque illam pro Murena, quam item in consulatu, sed apud iudices habuit, comprehenderat. De agraria autem lege commemorat quattuor orationes a se habitas, primam Cal. Ian. in senatu, alteram apud populum, tum duas breves, item apud populum: ex quibus altera ex brevibus non extat, reliquae supersunt, nisi quod primae initium

periit. Etenim quin ea, quam in senatu Cal. Ian. habitam appellat, sit ipsa haec, quae nunc in agrariis prima numerari solet, dubitari non potest; siquidem Cal. Ian. eam haberi ipse ait orat. I, 8, 26 et in Pis. 2, 4 Cal. Ian. contra legem agrariam se dixisse narrat. Quare quod nomen nunc imponi solet *de lege agraria contra P. Servilium Rullum*, falsum est natumque librariorum imperitia, nominanda est *Cal. Ian. in senatu habita;* continebat enim et gratiarum actionem et expositionem universi quem gesturus erat consulatus. Nec multo aliter postea appellarunt grammatici, qui cum corpus illud actionum consularium, quod Cicero ipse effecerat, dissolvissent orationesque in ceterarum seriem inseruissent, quoniam huius, quae Cal. Ian. habita est, maximam partem in lege agraria versari videbant, hoc ipsum fortasse addiderunt, Rulli quidem omnem mentionem omiserunt. Nam quod Gell. XIII, 24, 4 dicit orationem, quae habita est *de lege agraria Calendis Ianuariis contra Rullum*, non titulum, sed argumentum indicat, Charisius autem Instit. gram. I, 18, 6 p. 53 ed. Lind. sic citat *Calendis Ianuariis in lege agraria*, in quo non offendet, qui Ciceronem ipsum l. c. ἀποσπασμάτια *legis agrariae* dicere meminerit. Omnino nullius orationis Tullianae eam inscriptionem fuisse censeo, ut *contra aliquem* diceretur; dicitur sane *in Pisonem* et *in Vatinium*, propterea quod tota Pisonis et Vatinii vita perstringitur, ut homines quasi ipsi, non una eorum res gesta petatur, similique ratione fortasse *Philippicae in M. Antonium* dici poterunt, etsi M. Antonii nomen addi inutile est, in Verrinis autem qui adiiciet *in Verrem*, rectius *actionem* appellabit. Nec vero ii librarii sequendi sunt, qui has orationes agrarias librorum nomine appellant, id quod ipsum Ciceronem noluisse fieri ex eo quem attulimus loco patet. Ferimus id nomen in actione Verrina altera; longissimam enim orationem in partes quasdam dividi oportebat, scriptaque illa est, non habita; sed in his consularibus actionibus si Cicero illud nomen probasset, cur non potius decem earum libros numeravit quam singulas aliis inscriptionibus ornavit? cur non Catilinariarum certe vel harum agrariarum libros nominavit? Verum habet libri nomen aliquid, quod disputationi conveniat, ab oratione abhorreat.

Neque codicum ms. auctoritas nos movere debet, quorum qui optimus est, libros non appellat, ex reliquis plerique sane appellant, sed modo brevius modo copiosius ac cum ea varietate, ut librarios etiam cum certum aliquem titulum reperirent, in hac tamen re ingenio suo indulsisse pateat. Idque magis etiam ex primae orationis inscriptione intelligitur, cuius cum principium perisset in eo, ex quo omnes codices manarunt, exemplo, titulus tamen idem fere, qui in reliquis orationibus, inscribitur. Quae cum ita essent, harum agrariarum orationum, quarum quasi corpus quoddam effecimus, hac communi inscriptione usi sumus, ut eas *de lege agraria* appellaremus, tum primam *Cal. Ian. in senatu habitam*, alteram et tertiam *ad populum habitas* nominavimus.

Veruntamen historiam harum orationum agrariarum etiam per ipsam antiquitatem quibusdam levibus quasi vestigiis persequi licet. Etenim quod unum huius generis in libris Tullianis exemplum est, multi codices alterius orationis titulo in margine haec adiiciunt: *Emendavi ad Tironem et Letanianum. Acta ipso Cicerone et Antonio cos. orat. XXIIII. In exemplari sic fuit. Statilius Maximus rursum emendavi ad Tironem et Letanianum et Dom. et alios veteres. III. Oratio eximia.* Quae cum appareat esse mendosa, extitisse vitium arbitrabimur eadem ratione, qua multae codicum subscriptiones corruptae sunt, ut cum titulis permiscerentur. Sic enim in antiquissimo exemplo fuisse censeo: *Statilius Maximus rursum M. Tullii Ciceronis de lege agraria oratio emendavi ad Tironem et Letanianum acta ipso Cicerone et Antonio cos. or. XXIIII. et dom. et alios veteres III. oratio eximia*, aliis litteris tituli, aliis subscriptionis. Sed cum initium paginae perisset, non modo titulus orationis haustus est (atque hac de causa illam de qua modo dixi titulorum in codicibus varietatem accidisse existimo), verum etiam subscriptionis principium, quod cum tamen vel in alio exemplo vel nescio quo casu servatum esset, illa extitit confusio, quam in nostris codicibus miramur. Subscriptio igitur haec fuit: *Statilius Maximus rursum emendavi ad Tironem et Letanianum et dom. et alios veteres III. Oratio eximia.* Neque ignotus nobis

est ille Statilius Maximus, qui emendasse narratur. Nam Charisius Inst. gram. II, 14 de adverbio disputans, imprimis p. 175, 187, 193 commemorat Statilium Maximum sive Maximum, qui librum scripserit *singularia,* quo cum Catonis et Sallustii, tum Ciceronis orationem illustrarit. Fuit igitur grammaticus et quidem bonae aetatis; nam accuratius tempus eius definire non licet coniecturaque incerta utitur O. Jahn in actis societ. reg. Saxon. litterarum 1851 p. 329, qui primo saeculo tribuit. Haec autem subscriptio eum etiam libris Tullianis emendandis operam dedisse docet, quam quomodo dederit, licet cognoscere. Nam usus est primum Tirone, notissimo illo Ciceronis liberto. At nonne Cicero ipse actiones suas consulares ediderat? Quae igitur Tironis in iis partes esse poterant? Certe non hae, ut novam aliquam earum quam proprie diceres recensionem institueret, ut orationes aliter digererot aliaque, quae ad rationem earum aut mutandam aut constituendam valerent, administraret, sed hoc tantum egit, ut codices Tullianorum librorum corrigerot curaretque, ut ii quam fieri posset emendatissimi essent: qua in re eum elaborasse Tironianosque codices pro optimis ac fide dignissimis haberi consuevisse constat Gellii testimonio I, 7, 1 et XIII, 20, 16. Hic igitur Statilio primus ac praecipuus emendandi fons esse debuit: alter autem appellatur *Letanianus* sivo *Lactanianus* sive *Laeccanianus,* unde si quod alias roperiatur vel reperiri possit sequemur, *Laecanianum* efficiemus. Quem si quis hominem fuisse putabit, nihil dici poterit; est enim prorsus ignotus. Acute tamen O. Iahn. l. l. animadvertit, ut Demosthenis exempla nominarentur Atticiana, propterea quod ab Attico quodam, celebri βιβλιογράφῳ, scripta essent, de quibus cf. Herm Sauppii epist. critic. p. 50, sic Laecanianum intelligi posse librum. Nec necesse est intelligamus librum, quem Laecanius aliquis scripserit (nec notus est eius nominis grammaticus, qui si fuisset ullus, videretur alicubi debuisse commemorari), sed etiam eum cogitare poterimus, qui apud Laecanium fuerit: qui si excelleret bibliothecae vel magnitudine vel praestantia, recte ab Statilio Maximo liber Laecanianus nominari potuit. Ac C. Laecanius Bassus fuit cos. anno 64 (Tac. Ann. XV, 33; Frontin. de aquaed. 102; Marin.

Act. fratr. Arv. p. 61; Henzen. in Orelliana sylloge n. 6858), quem Plin. nat. hist. XXVI, 5 (nam praenomen ibi mutandum est) anno 77 decessisse scribit. De cuius vita aut moribus aut litterarum denique studio etsi nihil traditur, tempus tamen, quo vixit, fere convenit, ut librum eius pro altero fonte, quo Statilius usus sit, habeamus. Tertius autem dicitur *dom.*, in quo nescio quid aliud latere possit nisi *domini;* nam librum hic quoque intelligemus. Dominus autem dupliciter accipi potest, aut de imperatore, cuius ea iam tum sollemnis erat appellatio, aut de domino Statilii, qui quin libertini generis fuerit, sicut maior fere pars grammaticorum illius aetatis, dubitari non potest: malo equidem de Statilii patrono intelligere, quoniam imperator fere dominus noster aut Augusti aliave appellatione addita dici solet. Ac nobilissimos hac ipsa in qua versamur aetate constat fuisse Statilios, nominaturque, qui huius grammatici dominus ac patronus esse potuerit, ineunte saeculo altero T. Statilius Maximus Severus in compluribus inscriptionibus apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 317. Quod denique extremum in hac subscriptione est *et alios veteres III,* intelligo libros, quos Statilius, cum nec apud quem fuissent nec a quo scripti indicare posset, vetustate tamen commendari dixit. Coniectura haec, quae disputavimus, effici fatemur, quae, ubi certum nihil sequi liceat, cum necessaria sit, statuemus Statilium ad emendandum id, quod ipse habebat, Ciceronis exemplum sex libros adhibuisse, Tironianum, Laecanianum, Statilianum, denique tres alios veteres.

Veruntamen esto: hanc alteram de lege agraria orationem ab Statilio emendatam esse constat: de aliis autem orationibus quid existimabimus? Certe vel plures vel omnes item ab eo emendatas esse probabile est, sed demonstrari id nullo pacto potest. Corpus autem illud actionum consularium, quod Ciceronem effecisse vidimus, num conservavit Statilius? Videtur sane itemque videntur quodammodo reliqui orationum Tullianarum editores, cuius rei hoc testimonium est, quod Mureniana oratio, quae si temporis ratio observaretur, inter Catilinarias interiici debuit, iis postponitur. In ipsis autem actionibus consularibus hae tres agrariae, quia tempore inter se proximae fuerunt, dein-

ceps collocandae erant, sed duo volumina efficiebant, quorum prius primam contineret, alterum tres reliquas. Etenim cum consentaneum sit, ut emendatorum subscriptiones in singulis voluminibus repetitae sint, quoniam primi voluminis principium periit, accidisse putabimus, ut Statilii nota alteri tantum orationi agrariae praemitteretur: pertinet eadem ad tertiam invenireturque in prima, si fortuna eius primam partem servasset. Quamquam quod nuper cum de Livianorum librorum inscriptione et codice antiquissimo Veronensi disputaremus (Berol. 1859 p. 11), observavimus duplicem quasi eorum fuisse in antiquitate ipsa inscriptionem ac duplicem divisionem, quoniam et universa historia coniungebatur librique ex ordinis huius numero nominabantur et eae partes, quae in iisdem bellis narrandis versarentur, peculiarem suam inscriptionem librorumque numerationem habebant, idem in Tullianis orationibus accidit. Nam fuisse in antiquitate etiam codices, qui omnes deinceps Ciceronis orationes continerent easque secundum locum, quem quaeque ex temporis ordine haberet, numerarent, ostendit ille, quem citavimus titulus *Acta ipso Cicerone et Antonio cos. Or. XXIIII.* Nam vigesima quarta oratio ita efficitur, si tempore quae antecesserunt orationes omnes, non modo quae extant, verum etiam quarum fragmenta tantum nota sunt, numeres. Nam primae quattuor sunt pro P. Quinctio, Sex. Roscio, Q. Roscio, M. Tullio, sequuntur septem Verrinae, tum pro M. Fonteio, pro A. Caecina, pro P. Oppio, de imperio Cn. Pompeii, pro C. Manilio, pro A. Cluentio, pro C. Fundanio, pro C. Cornelio duae, in toga candida, pro Q. Gallio, ut vicesimum tertium locum agraria prima obtineat. Hic omnium orationum Tullianarum codex utinam hodie superesset! Qui cum saeculo quarto vel quinto p. Chr. extaret, paulo post, ubi barbari Italiam ceperunt litterasque tristissimis tenebris obruere coeperunt, discerptus est multisque orationibus amissis vel mutilatis fortuna ita tandem tulit, ut saeculi fere X codex, qui septem, ut videtur, Ciceronis orationes contineret, reperiretur in monasterio S. Galli prope Constantiam: qui codex ipse cum aliam iniuriam multiplicem passus, tum duabus primis chartis spoliatus est. Nam quod

quidam nostrorum librorum ms. a principio orationis primae agrariae antiquissimi codicis duas chartas deficere referunt, nihil est quin recte referri credamus. Hic autem codex, ab initio mutilus, saepe corruptus, saepius lectu difficillimus, fons quasi ac pater fuit omnium, qui nunc extant, codicum ms.; nullus enim, cuius principium integrum esset, innotuit nec haec lacuna, nisi ab uno omnes exirent, accidere potuisset.

Veruntamen etiam ille S. Galli codex latebat atque ignorabatur restitutisque in Italia studiis antiquitatis si qui Ciceronem contra legem agrariam dixisse legebant, orationes ipsas cum tot aliis ingenii Romani monumentis perisse existimabant. In Germania quidem, cum in Italia etiamtunc aliis studiis homines tenerentur, monachi veterum librorum cupidi fuerunt, Corbeiensesque cum diligenter Latinos codices conquirerent, intra annum 1138—1144 codicem Tullianum dono acceperunt, ex variis, qui cuiusque scripti optimi esse viderentur, libris cum magna cura descriptum. Is liber ms. postea factus est Erfurtensis, nunc est Berolinensis: quem olim Corbeiensis monasterii fuisse iisque, quos diximus, annis scriptum esse retulit nobis C. A. F. Pertzius, vir doctissimus veterumque codicum peritissimus. Servatus autem est etiam ille vetustus S. Galli codex, qui cum latuisset diu, anno circiter 1417 a Poggio Bracciolino Florentino, cum Constantiae in nobili concilio ecclesiae versaretur, in lucem extractus, in Italiam allatus, cupide exceptus ac propagatus alteram librorum ms. familiam, quam Italicam appellabimus, genuit. Cf. quae in commentario isagogico orationis pro Murena a nobis editae p. XXXV sq. disputavimus. Sunt igitur duae codicum quasi familiae, una Germanicorum (nam ex Erfurtensi sive Corbeiensi manarunt alii notusque ex eo genere est Erlangensis, cuius collatio in editione recentissima Baiteriana reperitur), altera Italicorum, quarum quae sit inter se ratio dum examinamus, quaedam etiam de illo vetustissimo, ex quo omnes, qui supersunt, manarunt codice discemus.

Atque Erfurtensis quidem codex, qui princeps est Germanicorum, solet nunc a viris doctis laudari ac dux fide dignissimus haberi neque nos profecto aut de laude eius detrahemus aut

virtutem imminuemus, sed eam tamen non eandem esse intelligemus in omnibus, quos habet, libris Tullianis. Sit optimus in aliis, quorum vetera ac sincera exempla, qui eum scribebat, nactus erat, in aliis certe minus est probabilis. Neque enim eum ex uno aliquo exemplo repetitum, sed ex multis concinnatum esse ipsa varietas ac mira confusio librorum Tullianorum, quos continet, docet; siquidem post libros de officiis reperiuntur in eo rhetorici, tum consulares orationes, tum post consulatum habitae, tum rursus consulares, tum Verrinae, ne epistolae quidem praetereuntur, extremique nunc quidem sunt Cato maior et Laelius: quem librorum ordinem in nullo antiquitatis Romanae codice fuisse, sed hominis omnia quae ubique essent conquirentis studio extitisse perspicuum est. Quare hic liber Erfurtensis, quamvis multiplici virtute excellat, nunquam eo loco habendus erit, quo si qui unum genus scriptorum Tullianorum cum fide ex antiquissimis codicibus repetitum continent. Accedit, quod in his quidem orationibus agrariis librarium nulla vel diligentia vel fide usum esse videmus: non simpliciter, quod in principe illo codice reperiebatur, retulit, sed emendatoris partibus susceptis mutavit ac de suo ingenio adiecit. Hoc ex genere est, quod II, 15, 38 scripsit *quidquid igitur*, cum reliqui omnes codices habeant *quidquid ergo*. Nimirum non multo ante *ergo* praecedit displicebatque eiusdem coniunctionis intra breve spatium repetitio. Similique de causa improbabat quod I, 7, 22 est *Capuam et urbes circa Capuam* scripsitque *Capuam et urbes circa eam*. Item ex ingenio, non errore natum est, quod II, 25, 95 habet *illa capta est*, quia quod legebat, *illa apta est*, non intelligebat; et II, 29, 80 cum reliqui codices quod sensu careat *Syriae cura* praebeant, Erfurtensis ut aliquid Latinum efficeret scripsit *Syriae rura*. Pauca attuli eaque quorum certa esset ratio; nam aliorum errorum plenus est ille liber, ut parum esse in hac quidem parte probandum iam alii viri docti perspexerint, qui sola meliorum codicum inopia, ut huic potissimum fidem haberent, adducebantur. Sed magis etiam emendatoris manus eo cognoscitur, quod solus saepe Erfurtensis in verborum collocatione ab reliquis recedit, in quo etsi difficile est iudicium, ut raro ferri non posse

aliquid liceat dicere, quis tamen probabit, quod I, 2, 6 habet *etiam ille nunc* et II, 4, 9 *neque obscure enim?* A quibus locis profecti toto hoc in genere fidem illi habendam esse negabimus. Denique Erfurtensis additamenta quaedam habet, quae cum in nullo alio libro sint, non in ἀρχετύπῳ illo fuisse, sed explicandi causa adiecta esse videantur, velut II, 34, 93 praetores *urbani* appellantur, quod etsi ridiculum est, quomodo tamen librarii mala sollertia genuerit facile intelligitur; I, 6, 19 *neque aliud quicquam in urbe quam inane nomen Capuae reliquerunt* scribitur, quod ne iis quidem, qui Erfurtensem librum magni faciebant, omnibus probatum est; II, 9, 24 longior adeo sententia, quae in nullo alio codice est, additur. Nec tantum adiiciendo peccat ille, verum etiam omittendo. Nam II, 35, 95 *Ligures montanos* appellari necesse est, sed Erfurtensis librarius, quod adiectivum non intelligeret, Ligures tantum appellavit. Quae cum ita sint, Erfurtensis codicis quae indoles sit, qui usus perspicitur: adhibendus sit, conferendus, examinandus, certe non erit ita utendus, ut eum reliquis communibus codicibus praeferas peccaruntque haud dubie recentissimi editores, qui totam harum orationum recensionem ad illius auctoritatem instituerunt. Nos quidem eo usi sumus uno maxime loco II, 15, 40, ubi unus *stagna* quod videtur ferri posse exhibet, quod ea aetate qua ipse scriptus est, clarius fortasse in archetypo legi poterat; quod aliis paucis locis veriora habet, velut I, 4, 13 *in huius vectigalia*, II, 30, 83 *difficultatibus* et *difficultates*, II, 32, 82 *comportandis*, II, 37, 101 *iusserit*, etiam coniectura potuit accidere.

Altera codicum quasi familia est Italicorum, quae postquam Poggius Florentinus ex monasterio S. Galli vetus exemplum orationum Tullianarum in Italiam attulit, nata est. Ea autem rursus videtur esse duplex. Nam cum vetus illud exemplum non tantum ab initio esset mutilum, sed etiam multis locis difficillimum lectu, factum est, ut ab aliquo viro docto emendaretur atque ad usum multitudinis accommodaretur, qua de re plura diximus in commentario isagogico ad Cic. p. Mur. p. XLII. Tum plurimi ad cognoscendum ac propagandum con-

currerunt, nec tamen vetere illo libro utebantur, qui latuit ac postremo periit, sed hoc recentiore, qui minorem et legendi et intelligendi difficultatem obiiceret. Unus tantum extitit, qui ad ipsum caput rediret, is qui codicem Lagomarsinianum 9 scripsit. Cuius codicis praestantiam nuper in Murenianae orationis editione et laudavimus et secuti sumus, nunc in his actionibus agrariis virtutem praedicare debemus. Neque enim eum totum tanti faciendum esse existimamus: qui etsi orationes tantum Tullianas continet, ex variis tamen eas fontibus petiit similemque atque Erfurtensis habet originem ac naturam. In his tamen orationibus de lege agraria quam bonus sit ille Lagomarsinianus, haud difficile cognoscitur. Velut II, 36, 99 certissima coniectura edidimus *ut ipsum Cn. Pompeium, cuius praesidio saepissime rempublicam contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives tutati sumus, victoria atque horum conspectu privare possetis.* Ibi reliqui omnes libri ms. illud quod est *tutati sumus* omittunt et pro *victoria* scripserunt *victorem.* Quid igitur facerent editores? Nimirum postquam varias emendationes frustra temptarunt, huc tandem decurrerunt, ut lacunam esse intelligerent. Quam si recte expleret cod. Lag. 9, videretur fortasse emendatus esse, cum *tutatum victoria* habeat, quod ipsum per se inoptum sit, sed facillimam ac certissimam emendationem admittat, nonne videmus librarium et tam imperitum fuisse, ut nunquam suo ingenio uti posset, et ea fide, ut nihil omitteret et denique non communibus codicibus Italicis, sed antiquiore aliquo atque integriore esse usum? Cuius generis librarius, cum ille, quem patrem quasi omnium codicum esse constat, perierit, maximo est optabilis. Qui qualis est hoc loco, talis per totas has orationes deprehenditur. Imperitiam enim demonstrant multi errores, quos aut cum reliquis communes aut sui proprios habet, unde de sententia minime eum laborasse neque quicquam de suo inferre potuisse intelligas, diligentiam autem ac fidem plurimi loci, quibus parvo saepe discrimine aut meliora efficiat verba aut desperata restituat. Illius generis exempla citare inutile est, commemoro tamen litteras *c* et *t*, tum *n* et *r* saepissime confundi, vocabulorum terminationes male explicari, in pronomine

imprimis relativo peccari: ex hoc genere affero, quod singulari diligentia pronomina *nos* et *vos*, *noster* et *vester* ita distinguit, ut tuto eum ubique sequi liceat, quod II, 6, 14 solus omnium habet *studio*, II, 11, 27 *Quirites*, II, 11, 29 *nascitur*, II, 15, 39 *primum enim hoc quaero*, II, 18, 48 *Italiam percensuit*, II, 21, 57 *amoenissimis sedibus*, II, 25, 66 *in Italiam alio deducamini*, II, 30, 83 *expediti ad urbem*, II, 31, 86 *a Stellati*, II, 34, 90 *Carthaginiense* et *Perse*, III, 2, 6 *Cn. Carbonem* aliaque plurima.

Veruntamen magis etiam huius codicis virtutem aliud integritatis genus demonstrat maxime notabile. Quid enim saepius in codicibus accidit, quam ut scriptori adiicerentur ab iis, qui legerent vel interpretari cuperent, notae modo unius vocabuli modo longioris sententiae, quae notae dum negligentia paulatim in ipsa scriptoris verba perveniunt, notum est quantam perturbationem ediderint. Quo genere vitii in oratione altera agraria (nam tertia eo vacat, prima multo integrior est) omnes praeter hunc Lag. 9 codices magnopere laborant. Velut II, 4, 9 reliqui omnes scribunt *ut et vos et maiores vestri et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet*, in quibus illud *et maiores vestri* tam ineptum est, ut etiam invitis codicibus editiones omittere debuerint; at Lag. 9 solus ignorat. Similiter II, 1, 3 *quo modo pauci consules in hac civitate facti sunt*, ascripserat quispiam *nobiles* esse intelligendos, quod cum reliqui libri ms. Ciceroni tribuant, Lag. 9 omittit; II, 7, 19 non sufficiebat reliquis *quod populi semper fuit* addideruntque *proprium*, quod ille unus abiecit; II, 12, 30, ubi est *si quis* (tribunus plebis) *ea potestate* (intercedendi) *est usus, existimemus*, adiecerat aliquis in margine *temere* idque feratur in margine, sed cum Ciceroni tribueretur, perierat sententia. Cf. II, 16, 43 et 18, 48 et 36, 99; I, 7, 21 et 8, 25. Nonnunquam etiam cum vitium aliquod irrepsisset, interpres id inserendis nonnullis vocabulis tollere voluerat ac reliqui codices suppletam ita ac concinnatam orationem repetunt, Lag. 9 omisso supplemento vitium tantum habet, quod ubi levi aliqua emendatione sustuleris, elegans ac praeclara sententia existit. Cf. imprimis II,

, 3 et 11, 29 et 17, 44 et 1, 1. Similique ex genere sunt compluria verba, quae II, 33, 91 sine ullo, quo cum reliqua oratione cohaereant, vinculo inseruntur *non contentione, non ambitione discordes*, et quae II, 35, 96 in comparatione Romae et Capuae adiiciuntur: *agros vero Vaticanum et Pupiniam cum suis optimis atque uberrimis campis conferendos scilicet non putabunt, oppidorum autem finitimorum copiam cum hac per risum ac iocum contendent*, quibus locis ipsam prope vocem notas addentis librarii audire videare. Neque specie doctrinae, quae hoc extremo loco imprimis apparet, decipi oportet, hoc tantum intelligemus, illa cum addita sint, ab erudito aliquo homine esse addita. Etenim cognita semel hac codicum ratione deprehensaque certis, de quibus dubitari non possit, exemplis fraude hoc utique faciendum est, ut constanter totum hoc genus expellamus quodque abesse possit, abesse oportere statuamus. Quare II, 29, 80 compluria verba, quae ab uno cod. Lag. 9 abessent, cum abesse posse intellexissemus, sine dubitatione eiecimus. Quis enim non videt, posse ab interprete excogitari, quae sine sententiae detrimento verbis scriptoris inserantur? Raro tam copiosa est oratio, ut nullum vocabulum addi possit, raro argumenta, quibus additamentum coarguas, adeo ad persuadendum sunt necessaria, ut nulla superesse possit dubitatio: quare auctoritati multum in hoc genere erit tribuendum constantiaque retinenda, sine qua nulla recensio recte instituatur.

Quamquam quo pacto nata sint haec, de quibus agimus, additamenta, difficillimum est dictu. Neque enim uti licet ea ratione, quam in oratione Mureniana demonstravimus, saeculi XV viros doctos cum codicem Poggianum describerent, quaedam de suo ingenio addidisse. Praeter unum codicem Lag. 9 haec quae expellenda sunt, reperiuntur in omnibus codicibus, non modo Italicis, saeculo XV et deinceps scriptis, verum etiam Germanicis, qui manarunt ex Erfurtensi saeculi XII libro. Necesse igitur est fuerint in illo communi horum fonte, nimirum codice illo S. Galli, quem saeculi fere X fuisse suspicamur, et quidem ita fuerint scripta, ut et pro verbis Tullianis haberi possent et pro notis. Quare in margine haec fuisse arbitror, unde Erfur-

tensis reliquorumque codicum librarii in contextum ipsum receperunt, Lag. 9 diversitate aliqua scripturae observata omisit. Ac quaedam huius opinionis probabilitas inde nascitur, quod in inscriptionibus orationum et Lag. 9 omnem verbositatem fugit ac brevissime argumentum significat et reliqui aliquanto sunt longiores. Tres quidem codices Lagomarsiniani, 3, 38, 39, illam, de qua supra disputatum est, de emendatoribus subscriptionem in margine codicis antiquissimi fuisse annotant, nec si hoc fuit in margine receptumque est ab iis qui descripserunt librariis, a similitudine veri abhorret, etiam alia et fuisse in margine et ab librariis in contextu esse repetita. Veruntamen confusionis origo etsi ab prava codicis Poggiani explicatione deducitur, quem ipsarum notarum auctorem esse putabimus? Certe non eum, quisquis saeculo X Poggianum exemplum scripsit, qua aetate nemo erat vir doctus, qui illa Latine scriberet, qui Pupiniam tribum nosset, qui non facile temporum suorum ingenium proderet. Ne quinto quidem aut quarto saeculo haec tribuerim, sed antiquiora esse existimarim, ac sint fortasse, qui ab ipso Statilio Maximo, quem emendasse has orationes constat ac de Cicerone librum scripsisse, repetenda esse putent. Nos quidem, ut nihil certi a quoquam afferri posse videmus, ita nihil ipsi affirmare malumus.

Optimus igitur codex est ille quem Hieronymus Lagomarsinius nonum appellavit, quo eodem duce in oratione pro Murena emendanda usi sumus. Praeter eum idem Lagomarsinius contulit decem Italicos, his numeris notatos, 1, 3, 7, 8, 13, 20, 24, 26, 38, 39, ex quibus 38 et 39 num bibliothecae Laurentianae fuerint nescimus, reliqui qui sint diximus in commentario isagogico ad Cic. p. Mur. p. XLV. Has copias diligentissime, ne parvis quidem erroribus praetermissis, in commentario critico exhibuimus integras; neque enim aliter de virtute codicum eaque quam exposuimus ratione iudicari poterit. Reliquorum codicum perpetuo collatorum cognitionem adiicere noluimus. Nam Erfurtensis et paucae omnino sunt lectiones, quae bonae esse videantur, et collatio ab Ed. Wundero (Lipsiae 1827) edita repetitaque in Baiteriana editione facile omnibus in promptu

est: Erlangensis, qui totus ex Erfurtensi pendet, cuius collatione Car. Halmius eandem editionem auxit, non minus facile cognoscitur nec praeter vitia solita librariorum quicquam habet proprium, Salisburgensis (nunc Monacensis cod. Lat. 15734) a Car. Halmio, et Ambrosianus (Part. sup. C. 96) a Baitero comparatus, etsi in communi secta quodammodo excellunt, utiles erant iis, qui Italicorum notitia carebant, nobis nihil novi exhibebant, patetque eorum collatio in supplementis editionis Ciceronis Orellianae alterius II p. 1441 sq. Alios autem codices, non perpetuo aut negligenter collatos, silentio praeteriri praestabat. Cum enim virorum doctorum malam industriam multum in his orationibus versatam esse constaret, quae ingenio excogitata, quae bona fidé tradita essent, discernere non licebat. Tacuimus igitur de codice Franciano Graevii, de Pithoeanis lectionibus ab Car. Halmio in editione Baiteriana adiectis, quae incertae originis atque auctoritatis sunt, de Torrentii denique Levini discrepantia, quae a Baitero saepe commemoratur, quae num tota ex libro ms. petita sit, magnopere dubito.

Atque haec quidem de codicibus ms. dicenda erant. Editiones autem harum orationum omnes enumerare et longum est et parum fructuosum. Praetermittemus igitur omnes, qui eas communiter cum reliquis Ciceronis libris ediderunt, quorum et ratio fere nota est et in hac parte minus probabilis; nemo enim aut recensione constanter facienda aut explicatione eminuit. Ipse etiam Garatonius perpauca eaque fere quae rem criticam leviter attingerent, annotavit. Continebimur in iis, qui peculiari cura has orationes persecuti sunt. Ii fuerunt olim praestantissimi, nostra aetate nulli. Atque inter illos excellit Bern. Lauredani commentarius, Venetiis 1558 editus. Qui sive est Lauredani, patricii Veneti, hominis ab litteris antiquis non alieni, sed historiae potius studiis dediti, sive, id quod traditur, Car. Sigonii, certe summa laude dignus est. Neque enim tantum rerum antiquarum, quae in his orationibus commemorantur plurimae ac difficillimae, accuratam interpretationem sequebatur, verum etiam verba ipsa, quamvis nulli boni codices adessent, felicissime emendavit desperatosque prope locos mira sagacitate restituit. Itaque

huic utroque in genere longo plurimum debetur, multoque inferiores sunt Adriani Turnebi commentarii, Parisiis 1576 primum editi, etsi habent tamen, cur cognitu sint digni. Postea iacuerunt hae orationes neque quemquam, qui peculiari editione aut enarraret aut recenseret invenerunt. Pauci adeo fuerunt, qui quasi aliud agentes attingerent, velut Nic. Madvigius ot Alb. Sad. Wesenbergius et postremo Kayserus (Addit. edit. Orell. alt. II p. 1441 sq.). Unus praeterea cum magna laude commemorandus est Henr. Christ. Frid. Gebhardt., qui Curiae Regnitianae tres fasciculos observationum criticarum in orationes de lege agraria ann. 1839, 1844, 1851 edidit. Is de aliquot locis doctissime disputavit, quaedam ingeniose restituit, nusquam ita dixit, ut legisse poeniteat.

Quae cum ita sint, quam rationem nos in hac editione sequi debuerimus apparet. In recensendis verbis codici Lagomarsiniano nono paruimus et omittenti et collocanti, reliqua scribenti ita credidimus, ut saepe eum mendosum esse meminissemus grammaticamque ac sententiam observaremus: ubi emendatione codicum utendum erat, religiose eius auctorem nominavimus, reliquas coniecturas, nisi quae admodum essent memorabiles, fere tacuimus. Interpretis vero partes esse oportebat maximas. Versantur enim haec in media antiquitate Romana eaque difficillima atque obscurissima, in qua multo plus nobis fuisset laborandum, nisi ipsi ante aliquot annos totum hoc de Romanorum coloniis argumentum exposuissemus. Quare saepe fuimus breviores nec omnino in iis rebus, quas recte ab aliis explicatas esse putaremus, plus sumus immorati quam ut quale quidque esset indicaremus. Verum illi loco, qui de lege curiata est, quem nec ab editoribus nec ab antiquitatis enarratoribus satis esse illustratum videremus, tantum tribuimus, ut peculiari eum excursu ac copiosiore oratione persequeremur. Ultra autem digredi atque ad grammaticas quaestiones longioresque de rebus antiquis disputationes quasi deverti noluimus: his unis orationibus inservivimus, non doctrinae specimen edidimus: eosque, qui haec lecturi essent, Ciceronis nobilissimis orationibus, non nobis operam dare cogitavimus.

CONSPECTUS

ORATIONUM TRIUM DE LEGE AGRARIA.

ORATIONIS PRIMAE

Exordium ductum a) ab gratiarum actione
b) ab consilio consulatus fortiter gerendi.
Propositio de lege agraria.
Contentio de lege agraria:
a) de Xviris
1. creandis, — Haec perierunt.
2. ornandis,
b) quid lex agraria constituat
1. de pecunia conficienda:
A) permittit vendere es, de quibus anno 81 et postea s. c. facta sunt,
B) iubet vendere ea, quae extra Italiam post annum 88 publica pop. Rom. facta sunt — § 1,
C) iubet vendere et intra Italiam et extra Italiam certa quae nominantur vectigalia § 2 — § 6,
D) permittit vendere quibuscunque in locis videatur § 7,
Digressio quam intolerabiles sint Xviri exteris gentibus § 8 — § 9.
E) permittit Xviris extra Italiam cognitionem agri publici et privati § 10 — § 11,
Duae exceptiones de agro censorio Siciliae et de rege Hiempsale § 10 *Sunt tamen* — § 11 *gratis parceret.*
F) iubet praedam imperatorum ad Xviros deferri § 12 — § 13 *ad Xviros deferat.*
Exceptio de Cn. Pompeio § 13 *Hic tamen* — extr.

2. de agro emendo § 14 — § 15.
3. de colonis deducendis § 16 — § 17 *spes relinquatur.*
4. de colonia Capuam deducenda § 17 *Atque haec* — § 22 *circa Capuam occuparint?*
   A) de dignitate reipublicae § 18.
   B) de maiorum sapientia § 19 — § 20.
   C) de periculo reipublicae § 21 — § 22 *circa Capuam occuparint?*

Peroratio: a) de suo consilio consulatus gerendi § 22 *His ego rebus* — § 26 *mihi iratum contemnere.*
b) adhortatio ad reliquos tribunos plebis § 26 *Quamobrem* — extr.

ORATIONIS ALTERIUS

Exordium ductum a) ab gratiarum actione — § 4.
b) ab consilio consulatus gerendi § 5 — § 10.
1. fortiter omnino § 5 — § 6 *consiliumque laudetur.*
2. ita ut popularis sit § 6 *Accedit* — § 7 *in omni vita sim popularis.*
   Quid sit populare § 7 *Sed mihi ad huiusce vim* — § 10.
   A) pax et libertas est popularis § 7 *Sed mihi ad huiusce* — § 9.
   B) largitio non est popularis § 10.

Propositio de lege agraria § 11 — § 16 *adiutore defendere.*
a) quomodo lata sit § 11 — § 15 *libenter posset defendere.*
1. quamdiu Rullus designatus fuit § 11 — § 12.
2. post initum magistratum § 13 — § 15 *libenter posset defendere.*
b) de universa eius vi ac natura § 15 *Atque ego* — § 16 *adiutore defendere.*

Contentio de lege agraria § 16 *Primum caput* — § 97.
a) de Xviris § 16 *Primum caput* — § 32 *satellites potestatis.*
1. creandis § 16 *Primum caput* — § 25.
   A) ut fiant per XVII tribus § 16 *Primum caput* — § 19.
   B) ut Rullus comitiis praesit § 20 — § 22.
   C) Cn. Pompeius excipitur § 23 — § 25.
2. ornandis § 26 — § 32 *satellites potestatis.*
   A) lege curiata § 26 — § 30.
   B) cetero ornatu § 30 — § 32 *satellites potestatis.*
b) quid lex agraria constituat § 32 *Formam adhuc habetis* — § 99.
1. de pecunia conficienda § 35 *Datur igitur eis* — § 62.

A) permittit vendere ea, de quibus anno 81 et postea s. c. facta sunt § 35 *Datur igitur* — § 37.

B) iubet vendere ea, quae extra Italiam post ann. 88 publica pop. Romani facta sunt § 38 — § 46.

I. hoc capite omnes gentes comprehendi § 39 *Primum enim hoc quaero* — § 44.

II. grave id esse sociis et omnino nimium § 45 — § 46.

C) permittit et in Italia et extra Italiam vectigalia quae enumerantur vendere § 47 — § 55 *potissimum cogitarent.*

nominatim de novis vectigalibus ab Cn. Pompeio partis § 52 *Verum inter hos* — § 55 *potissimum cogitarent.*

D) permittit vendere quibuscunque in locis videatur § 55 *Atque in omnibus* — § 56 *teste vendent.*

E) permittit et in Italia et extra Italiam Xviris cognitionem agri publici et privati publicoque vectigal imponit § 56 *Sequitur omnes* — § 57 *publica liberare.*

Exceptiones duae

I. agri censorii Siciliae § 57 *Excipitur* — extr.

II. regis Hiempsalis § 58 — § 59 *bene capillatus.*

F) iubet praedam imperatorum ad Xviros deferri § 59 *Vix iam videtur* — extr.

Exceptio de Cn. Pompeio § 60 — § 62 *putat oportere.*

2. de agro emendo § 62 *Parta sit pecunia* — § 72.

A) nimiam potestatem Xviris permitti § 64 *Unum hoc certe videor* — § 65 *esse videatur.*

B) emi agrum contra morem maiorum § 65 *Hic ego iam illud* — extr.

C) definiendos fuisse agros § 66 — § 72.

a) certe naturam agri fuisse definiendam § 67.

b) agros Sullanos emptum iri § 68 — § 70 *nobis inducetur.*

c) agros pestilentes emptum iri § 70 *Alterum genus agrorum* — § 71 *Rullo duce collocari.*

d) remanere pecuniam apud Xviros § 71 *At dicat* — § 72.

3. de colonis deducendis § 73 — § 75.

A) definiendas fuisse colonias § 73 — § 74.

B) nunc everti libertatem pop. Romani § 75.

4. de colonia Capuam deducenda § 76 — § 97.

A) de commodo populi Rom. § 76 *De commodo* — § 85.

a) nihil accepturam plebem § 76 — § 79,

1. quod oppidum ipsum quinque milia hominum non capiat § 76 *Ac primum de oppido* — § 77.

2. quod agrum ipsi Xviri possessuri sint § 78 — § 79.

b) privari iis quae habeat bonis § 80 — § 85.
1. quod optimum vectigal pereat § 80 — § 83.
2. quod optima plebs expellatur § 84 — § 85.
B) de dignitate pop. Romani § 86 — § 97
digressiones duae:
a) de sapientia maiorum § 87 — § 91
b) de colonia Capuam lege Iunia deducta § 92 — § 94.
Peroratio: a) brevis de lege agraria repetitio § 98 — § 99.
b) suum in lege tollenda auxilium promittit § 100 — § 103.

ORATIONIS TERTIAE

Exordium de mutata quorundam in se voluntate — § 2.
Propositio: Falso se insimulari, quasi possessores Sullanos defendat § 3 — *commodo vestro obsistere.*
Refutatio: a) possessores Sullanos a Rullo defendi § 3 *Hoc si qui crediderunt* — § 14.
1. capite XL legis possessiones omnes confirmari § 4 — § 8 *praeclare arbitretur.*
2. ius optimum iis tribui § 8 *Tu vero, Rulle* — § 9.
3. novas assignationes fieri § 10 — § 12.
4. legem latam in gratiam soceri § 13 — § 14.
b) a se defendi rempublicam § 15 — § 16.

ORATIO

IN SENATU CAL. IAN. HABITA.

... imberba iuventute .....

Venibit igitur sub praecone tota Propontis atque Hellespontus: addicetur omnis ora Lyciorum atque Cilicum: Mysia et Phrygia eidem condicioni legique parebunt.

..... praedam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeii sedente imperatore Xviri vendent .....

.... quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuni- 1
culis oppugnatur. Dicent enim Xviri, id quod et dicitur a multis

Diversitas lectionis Baiterianae: 1. *decemviri* et sic semper.

ANNOTATIO.

Eorum quae ab principio huius orationis perierunt, tria extant fragmenta, primum apud Charis. Inst. gramm. I, 18, 6, alterum apud Aquilam Romanum, de figur. sentent. et elocut. c. 43, tertium apud Gell. XIII, 24. Primum ad illum locum videtur pertinere, quo P. Rulli tribuni designati mores exponit (cf. orat. II, 5, 13), alterum ad ea, quae in orat. II, 15, 38 sunt, tertium ad digressionem eodem fere loco de Cn. Pompeio additam (cf. §5). Est autem alterum fragmentum apud Aquilam Romanum vitiose scriptum. Nam quod nos ex Baiteri coniectura edidimus *omnis*, illic est *communis*, tum quod Orellio auctore *Phrygia eidem condicioni legique parebunt*, illic legitur *Phrygia. Veniet Propontis atque Hellespontus, idem condicioni legique parebunt.* Quo minus dubitavimus quod item vitiose illic legitur *veniet* corrigere. Cf. C. T. Zumpt. ad Cic. in Verr. III, 47, 113.

1. *Oppugnatur.* Haeserunt in hoc verbo quidam interpretes, nec immerito. Nam *oppugnare* aliquam rem Latine est pugnare contra aliquam rem, quare *rem* non possumus intelligere *oppugnari.* Iam facilis sit mutatio, si scribatur pro re *regio*, ut orat. II, 17, 44 est *regionem illam petierunt*, ac regionem recte dicas oppugnari, i. e. impetum in eam fieri, ut vi quasi capia-

et saepe dictum est, post eosdem consules regis Alexandri testamento regnum illud populi Romani esse factum. Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus his, quibus apertissime pugnantibus restitistis. Haec, per deos immortales, utrum esse vobis consilia siccorum an vinolentorum somnia, et utrum cogitata sapientum
2 an optata furiosorum videntur? Videte nunc proximo capite,

petentibus iis. — *sapientium.* —

tur atque obtineatur. Sed quoniam mutila est oratio, deficere ab initio statuemus id, quod oppugnari dicatur nec demonstrativum *ea* ad relativum, quod antecedit, sed ad illud quod periit, referemus. Velut si *Alexandria cunctaque Aegyptus* (cf. orat. II, 16, 41) intelligatur relativaque sententia alius rei explicandae causa putetur esse interiecta, nemo aut universam orationem aut oppugnandi verbum vituperet. Quam autem rem Cicero h. l. commemorat, eam satis ad orat. II, 16, 41 explicavimus, unde *eosdem consules* constat esse L. Sullam et Q. Pompeium anni 88 a. Chr. Necessario autem paulo post scripsimus *petentibus his* i. e. iis, qui hanc ipsam legem Servilianu, de qua agitur, perferri cupiunt, M. Crassus, C. Caesar, alii, qui P. Rulli nomine abutuntur. — *consilia siccorum.* Cf. Acad. II, 27, 83 *Dormientium et vinolentorum et furiosorum visa imbecilliora esse dicebas, quam vigilantium, siccorum, sanorum.* Scripsimus autem *sapientum* ex omnium cod. nostrorum auctoritate. Qua spreta etsi p. Mur. 23, 59 *innocentium* et *impotentium* edidimus, dubitandum tamen est, an *sapiens*, qui substantivi vicem habet, ex alio quodam genere sit, nec prorsus certum esse existimamus, quod N. Madvig. ad Cic. de fin. I, 18, 61 illam, quam eiecimus, formam unice Ciceronianam esse indicat.

2. *turbet rempublicam* i. e. turbas in republica excitet. Dicturus enim est de veteribus vectigalibus, quibus perditis ea constare non potest. Diversum hinc est, quod *conturbare* proprie de rationibus dicitur. Notabile etiam *disperdendi* verbum, quod uno hoc loco apud Ciceronem legitur (cf. orat. II, 29, 80), sed proprio usu de eo, quod distractum pereat; nam Vatinius apud Cic. epist. V, 10, 1 *disperdidit* ait, ut perdendi vim intenderet. Cf. quae sunt orat. II, 18, 48: *Ut in suis rebus, ita in republica luxuriosus nepos.* — *perscribit* — *vectigalia* — *perscribit auctionem.* Minus recte editores recentiores priore loco codicum lectionem conservasse arbitror, altero loco Nic. Angelii emendationem accepisse. Dicitur sane non modo auctio *proscribi*, i. e. publice nota fieri, verum etiam bona, quae hastae subiiciuntur, denique homines ipsi, intellectis simul eorum bonis, nec dubium est, quin verum sit, ut *proscribere auctionem*, item *proscribere vectigalia* i. e. publice venum proponere. Nec tamen magis dubium est, quin item *perscribi* possit auctio, nimirum si non hoc publico profiteare, te auctionem bonorum esse instituturum, sed ipsa bona, quae vendere constitueris, enumeres ac scripto complectare, nec si certi eiusmodi loci scriptorum afferri nequeunt, non ratio ipsa ita dici posse docet. Hoc autem ipsum Cicero h. l. vult, Rullum non indicere auctionem pop. Romani, sed ea bona publica, quorum auctio futura sit, enumerare ac perscri-

ut impurus heluo turbet rempublicam, ut a maioribus nostris possessiones relictas disperdat ac dissipet, ut sit non minus in populi Romani patrimonio nepos quam in suo. Perscribit in sua lege vectigalia, quae Xviri vendant, hoc est, perscribit auctionem publicorum bonorum. Agros emi vult qui dividantur, quaerit pecuniam: videlicet excogitabit aliquid atque afferet. Nam superioribus capitibus dignitas populi Romani violabatur, nomen imperii in commune odium orbis terrae vocabatur, urbes pacatae, agri sociorum, regum status Xviris donabantur: nunc praesens, certa pecunia numerata petitur. Expecto quid tribunus plebis vigi- 3

2. *proscribit auctionem.* — *pecunia* [*numerata*] *quaeritur.* —

bere. Nam hoc, quod omnia nominatim vectigalia enumerentur, imprimis vituperari a Cicerone ostendit infra § 4 et orat. II, 18, 48. Quare recte utroque loco (nam *proscribere in lege vectigalia* ne ferri quidem posse existimo) in codicibus tradi arbitror *perscribit.* At infra § 4 *audite auctionem proscriptam a tribuno plebis* et sententia et codicum auctoritas conveniunt. — *afferet.* Nota proprie dici *afferre* de rebus ad rem pertinentibus ac commodis, sicut Cat. mai. 6, 17 *nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant* i. e. nihil argumenti proferunt. Ratio autem sententiarum haec est, ut ab coniunctione *videlicet* quaedam quasi apodosis incipiatur: cum agros emi velit, cum quaerat pecuniam, nimirum aliquid excogitabit. Itemque deinceps: Cum nunc — pecunia petatur, expecto, quid trib. pl. excogitet. — *dignitas pop. Rom. violabatur* ratione comitiorum mutata, *nomen imperii — vocabatur* ea Xviris potestate permissa, quae gentibus intolerabilis esset, *urbes pacatae — donabantur,* quod, quae ab anno 88 publica pop. Rom. facta erant, venire iubebat. Falsum autem est, quod cod. noster 9 habet *donabatur;* nam *status* adiecto plurali et ipse pluralis numeri est, sicut epist. IX, 6, 4 *At hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnes vitae status paraverunt.* — *praesens, certa pecunia numerata.* Recte fere de hoc loco iudicavit H. Chr. Fr. Gebhardt. Observat. crit. (Curiae Regnitianae 1839) I p. 4. Coniungenda enim est *pecunia numerata,* i. e. non ea, quae in agris, annuis reditibus, suppellectili sita sit, sed ea quae auro et argento signato constet, eamque ipsam pecuniam numeratam Rullus esse vult *praesentem,* ut statim uti possit, et *certam,* non cuius certa futura sit summa (nam Cicero ipse orat. II, 13, 33 et 20, 54 et 25, 67 *innumerabilem,* ibid. 22, 60 *infinitam* appellat), sed quam accepturum se certo possit sperare. Scripsimus autem *petitur,* quia ita optimus codex noster habet; alioquin ne *quaeritur* quidem, quod reliqui praebent, debet displicere.

3. *silva Scantia* commemoratur etiam orat. III, 4, 15 et *aquae Scantiae* sunt apud Plin. nat. hist. II, 240. Sed ubi haec fuerint nescitur. — *relictis possessionibus.* Has cave existimes esse, quae apud rei agrariae scriptores appellantur *relicta* i. e. non assignata, de quibus disputavit A. Rudorff. ad Car. Lachmanni gromaticos veteres II p. 393. Sed relictae possessiones di-

lans et acutus excogitet. Veneat, inquit, silva Scantia. Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus an in censorum pascuis invenisti? Si quid est quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum est, tamen consume sane, quando commodum est, quandoquidem tu attulisti: silvam vero tu Scantiam vendas nobis consulibus atque hoc senatu? tu ullum vectigal attingas? tu populo Romano subsidia belli, tu pacis ornamenta eripias? Tum vero hoc me inertiorem consulem iudicabo quam illos fortissimos viros, qui apud maiores nostros fuerunt, quod, quae vectigalia illis consulibus parta sunt, ea me consule ne
II, 4 retineri quidem potuisse iudicabuntur. Vendit Italiae posses-

3. est, consume sane, quod commodum est, quoniam quidem tu. — ornamenta pacis. — consulibus populo Romano parta. —

cuntur quasi neglectae, in tabulas censorias non relatae. Duae res id docent, et quod pascua opponuntur et quod Cicero permittit Rullo, si quid ab aliis neglectum invenerit, id consumere. *Pascua* explicat Plin. nat. hist. XVIII, 11 *Etiamnunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.* — *quando* — *quandoquidem.* Notae, quibus haec scripta erant, effecerunt, ut in deterioribus codicicibus existeret *quoniam* et *quoniam quidem:* quod cum non immerito displiceret (nam inutile est causam quodammodo afferri, quippe quae iam particula *sane* contineatur), fuerunt adeo, qui *quod commodum est* vel *tantum, quantum commodum est* coniicerent, haud dubie sententiam corrumpentes. Permittit enim Cicero quod quisque indagarit, hoc ipsum consumere, non, si quis quid indagarit, tum omnia, quaecunque placeat, consumere. Nunc nulla dubitatio superit. — *hoc me inertiorem.* Sic intellige: iudicabo me inertiorem esse quam illos viros fortissimos (sive illis viris fortissimis) et tanto quidem inertiorem, quantum interest, si quis ne servare quidem potest, quae alii pepererunt. Cf. Tusc. II, 4, 12 *Ut enim — si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam, sic philosophus in vitae ratione peccans hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur.* Commemoravi, quia Ernestius totum locum parum intellexit. Delevimus autem, quod paulo post in deterioribus codicibus inseri solet *populo Romano*, quod ex litteris insequentis vocabuli male repetitis videtur esse ortum.

4. *persequitur in tabulis censoriis.* Volebat Rullus vectigalia vendere, quae ut inveniret, adierat tabulas censorias, in quibus ea perscripta fuisse constat. Vere igitur, dum legem scribit, *in* tabulis illis Siciliam persecutus erat. Num autem fecit Cicero in hac oratione habenda, quod eum in habenda altera (vide eius § 48) fecisse constat, ut praeconem legem recitare iuberet? Non videtur nec ullam in verbis habet significationem. Veruntamen antequam oratio habita est, recitatam esse certum est legem; ait enim *audistis auctionem.* — *in mensem Ianuarium.* Nimirum agebatur de lege Servilia iam ex

siones ex ordine omnes. Sane est in eo diligens: nullam enim praetermittit. Persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam: nullum aedificium, nullos agros relinquit. Audistis auctionem populi Romani proscriptam a tribuno plebis, constitutam in mensem Ianuarium et, credo, non dubitabitis quin idcirco haec aerarii causa non vendiderint ii, qui armis et virtute pepererunt, ut esset quod nos largitionis causa venderemus.

Videte nunc quo affectent iter apertius quam antea. Nam 5
superiore parte legis quemadmodum Pompeium oppugnarent, a

4. *non dubitatis.* — 5. *quod affectent.* —

quo tribuni magistratum inierant, diesque perferendi constituta erat initio mensis Ianuarii, perlata autem ea hoc nimirum primum facturus erat, ut vetera reip. vectigalia venderet. Paulo post auctoritatis ac constantiae causa edidimus *dubitabitis*, cum adhuc fuerit *dubitatis*. Tum *aerarii causa* est ut aerario, reditibus publicis consulerent, opponiturque *largitionis causa*, ut agris dividendis gratia plebis iniretur.

5. *quo affectent iter.* Quod in codicibus est *quoad fecerit iter* cum falsum esse appareret, veram emendandi viam ingressus est Lambinus reperto affectandi verbo, sed ipsam Ciceronis manum videtur esse assecutus R. Klotzius scribendo *quo affectent iter.* Cf. p. Sex. Rosc. 48, 140 *nunc vero quam viam munitet, quod iter affectet videtis*, ac saepius comici aliique poëtae usurpant *affectare iter ad aliquem locum.* Hoc autem loco et plurali numero opus est (nam sequitur *indicati sunt*) et praesenti (nam codicum nostrorum natura magis litteras nonnullas permutatas quam omissas esse persuadet) et denique ut quo pergant addatur, non ut quale sit illud iter; quare *quod iter*, quod nonnulli coniecerunt, non placet. Iter autem ipsum, quod Cicero commemorat, erat ad Cn. Pompeium oppugnandum ac gloria spoliandum. Cf. orat. II, 20, 54: *verum etiam ad ipsum pervenire, aliquid illi insidiarum fieri, aliquid de eius exercitu, copiis, gloria detrahi posse.* — *Attalensium* sqq. De his agris, qui publici pop. Romani sint, singillatim plura diximus ad orat. II, 19, 50. Recepimus autem Lauredani coniecturam, qui praenomen Servilii in codicibus omissum adiecit; nam et orat. II, 19, 50 eidem viro et paulo post ceteris externarum gentium victoribus addidit. Neque interest, quod hunc solum *fortissimi viri* appellatione ornat; tribuit id viventis dignitati. — *Tum.* Editores addunt particulam *vero*, quam nos, quia a codicibus nostris ignoratur, eiecimus. Nec paulo post codicibus honorem suum negavimus, qui cum omnes habeant *ad oblatam aliquam religionem*, Orellio placuit *ob oblatam aliquam religionem.* Cui si *ad* improbabatur, quod ea praepositio et antea bis et deinceps de consilio ponitur, non minus locos multos mutare debebit, ubi diversi generis genitivi et ablativi iuxta collocantur; sin eo movebatur, quod Cicero orat. II, 19, 51 Carthaginem *propter religionem sedum illarum* consecratam esse ait, iniquam legem oratori, cui nullam variationem concedat, iniungit eamque, quam neglectam esse appareat, velut illic ait *agros*

me indicati sunt: nunc iam se ipsi indicabunt. Iubent venire
agros Attalensium atque Olympiorum: hos populo Romano P.
Servilii, fortissimi viri, victoria adiunxit: deinde agros in Mace-
donia regios, qui partim T. Flaminini, partim L. Pauli, qui Persen
vicit, virtute parti sunt: deinde agrum optimum et fructuosissi-
mum Corinthium, qui L. Mummii imperio ac felicitate ad vecti-
galia populi Romani adiunctus est: post autem agros in Hispania
apud Carthaginem novam, duorum Scipionum eximia virtute pos-
sessos. Tum ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Afri-
canus nudatam tectis atque moenibus, sive ad notandam Cartha-
giniensium calamitatem sive ad testificandam nostram victoriam
sive ad oblatam aliquam religionem, ad aeternam hominum
6 memoriam consecravit. His insignibus atque infulis imperii
venditis, quibus ornatam nobis maiores nostri rempublicam tra-
diderunt, iubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Pa-
phlagonia, Ponto Cappadociaque possederit. Num obscure videntur
prope hasta praeconis insectari Cn. Pompeii exercitum, qui ve-
nire iubeant eos ipsos agros, in quibus ille etiamnunc bellum
gerat atque versetur?

III, 7 Hoc vero cuiusmodi est, quod eius auctionis quam consti-

Olympenorum. — *Tum vero ipsam.* — *sice ob oblatam.* —

in Hispania propter Carthaginem novam, hic *agros in Hispania apud Carthaginem novam.* Quare tenebimus h. l. *ad oblatam aliquam religionem* i. e. cum oblata esset dubitanti ac deliberanti aliqua religio, ei ut satis faceret, consecravit Carthaginem. Hic praepositionis usus, ut tempus cum causa coniunctum significet, increbrescere coepit apud historicos imprimisque Livium, apud quem saepissime *ad famam, ad nuntium, ad casum* similiaque leguntur, sed nonnunquam etiam Cicero videtur habere, ut in Verr. IV, 14, 32 *ad hospitum adventum*, epist. III, 5, 3 *te Laodiceae fore ad meum adventum*; epist. XV, 1, 4 *ad tanti belli opinionem.* De ipsa autem consecratione veteris Carthaginis cf. ad orat. II § 50.

6. *infulis imperii.* Infulae dicuntur res sacrae, quibus imperium quasi quibusdam infulis sacerdos ornatum est ac pertinere maximo videntur ad agrum Carthaginiensem in Africa, quem ut hominum cultu perpetuo vacuus maneret, Africanus maxima religione occuparat. Rarus tamen hic vocabuli usus ac simile tantum hoc exemplum iuveni Senecae Cons. ad Helv. 14: *Hae litterae non dicam apud bonos, sed apud mediocriter malos infularum loco sunt* i. e. pro rebus sacris habentur. Ad ea quae deinceps de agris regiis et Cn. Pompeio disputat, conferenda est orat. II, 19, 51 sq.

7. *constituunt.* Quamvis discrepent paululum multi codices, veram tamen esse arbitror hanc, quae vulgatur, lectionem. Cf. supra § 4. Item paulo post

tuunt, locum sibi nullum definiunt? Nam Xviris, quibus in locis ipsis videatur, vendendi potestas lege permittitur. Censoribus vectigalia locare nisi in conspectu populi Romani non licet: his vendere vel in ultimis terris licebit. At hoc etiam nequissimi homines consumptis patrimoniis faciunt, ut in atriis auctionariis potius quam in triviis aut in compitis auctionentur. Hic permittit sua lege Xviris, ut in quibus commodum sit tenebris, ut in qua velint solitudine bona populi Romani possint vendere.
Iam illa omnibus in provinciis, regnis, liberis populis quam 8
acerba, quam formidolosa, quam quaestuosa concursatio Xviralis futura sit non videtis? Hereditatum obeundarum causa quibus

7. possint divendere. —

servavimus *ipsis;* nam dativus etsi cogitatione suppletur infra *in quibus commodum sit tenebris*, alibi additur, ut § 10 *quos ipsis libeat.* — *in conspectu populi*, i. e., non tantum in urbe Roma, verum vel in ipso foro vel prope forum. Vide orat. II, 21, 55. Sed *atria auctionaria*, quae deinde commemorantur, intellige atria privata eorum, qui auctionibus factitandis victum quaerebant, quae cum plurimae res auctionibus Romae venire solerent, multa fuisse probabile est. Atria *Licinia* commemorat Cic. p. Quinct. 3, 12 et 6, 25; eiusdemque generis illa atria fuisse iudico, ab quibus L. Catilina Sapalas et Carvilios amicos compararat. (Q. Cic. de petit. cons. 3, 10). Atque in his quidem atriis maiores res venire solebant, at in *triviis*, i. e. ubi duae viae se secant, cum qui ambulat, tres vias in conspectu habet, ut eadem rarius quadrivia appellentur, et in *compitis* i. e. ubi una via in alteram incidit, ubi duae viae competunt, homines de plebe minores res venum proponere solebant. — *vendere.* Constantiae causa sic scripsi, quod codex Lag. 9 ita habet, ac quod reliqui tuentur *divendere*, legitur semel tantum apud Ciceronem Phil. VII, 5, 15 (nam Cic. epist. XII, 15, 1 P. Lentuli epistola est), et quidem cum magna scripturae discrepantia, ut dubitem, num eo verbo usus sit. Paulo ante videtur inutilis esse coniectura Manutiana, quam Lambinus recepit, *aut in qua velint*, improbanda vero per se Halmiana *vel in qua velint;* neque enim correctio additur.

8. *hereditatum obeundarum causa.* Obire locum et munus saepe dicitur, *hereditatem* hoc uno loco. Utro igitur modo accipiendum est, ut sit i. q. adire, cernere hereditatem, an vero visere praedia sive fundos hereditate relictos? Hoc alterum potius equidem credo. Intelliguntur autem *legationes liberae*, quas appellant, de quibus cf. ad orat. II, 17, 45. — *exierunt* i. e. ex urbe, ut Cicero ipse epist. VII, 5, 1 *quocunque exirem;* Caelius in Cic. ep. VIII, 16, 1 *Iratus senatui exiit*, alibi. Nec offendere debet perfectum; nam *exisse* est i. q. extra urbem versari. Scripsimus autem *non summa auctoritate*, cum ederetur *neque s. a.*, nec negatio bis repetita minus placebit quam supra *ut* bis deinceps positum maioremque orationi vim addet.

vos legationes dedistis, qui et privati et privatum ad negotium exierunt, non maximis opibus, non summa auctoritate praediti, tamen auditis profecto quam graves eorum adventus sociis nostris esse
9 soleant. Quam ob rem quid putatis impendere hac lege omnibus gentibus terroris et mali, cum mittantur in orbem terrarum Xviri summo cum imperio, summa cum avaritia infinitaque omnium rerum cupiditate? quorum cum adventus graves et formidolosi, tum vero iudicium ac potestas erit non ferenda. Lice-

8. neque summa. — 9. cum immittantur. — rerum omnium. — graves, cum fasces formidolosi. —

9. *cum mittantur.* Rectius hoc esse indico quam quod nunc edi solet *cum immittantur.* Nam Xviri dicerentur *immitti* in orbem terrarum tamquam canes quidam ad diripiendum ac vexandum, sed non id agitur h. l.; illud tantum disputat, cum ii qui legationes liberas habent, i. e. privati sunt, tam molesti sint gentibus exteris, quantae perniciei futuri sint Xviri, qui summo imperio utuntur. Excederet igitur propositum suum Cicero, si Xviros immitti diceret. Neque *mitti* tantum eos ait in orbem terrarum, i. e. amandari quasi, tamquam exules quosdam (nam id displicebat Gebhardtio l. l. p. 11), *sed mitti summo cum imperio.* — *graves et formidolosi.* Non potest magnopere reprehendi, quod olim edebatur *cum adventus graves, cum fasces formidolosi;* nam de particula *cum* bis repetita cf. nos ad p. Mur. 18, 38, et fasces commemorantur etiam orat. II, 17, 45. Sed nescio tamen quo pacto fascium commemoratio mihi apud populum aptior videtur esse quam in senatu: illic explicari oportebat terrorem, qui in adventu Xvirum esset, hic, cum tot viri magistratibus aut praediti aut functi adessent, fascium mentionem fieri erat inutile. Quare vereor ne h. l. *fasces* ex librariorum ingenio extiterint, qui quam aliam formidinem Xvirum adventus efficere possent, parum intelligerent. Sed cur non formidolosus dicatur eorum adventus, quos omnes scirent ad agros publicos vendendos esse missos? Illud vero ferendum esse negat, quod iisdem iudicare et vendere licebat, ut omnium fortunae ex unius arbitrio penderent. — *homines sancti,* nimirum Xviri, quos per simulationem sanctos, i. e. integros pecuniaeque abstinentes appellat. Sed quid est, quod licere iis ait pecuniam accipere? Quae unquam lex id potest permittere? Nimirum non permittit lex Servilia, sed ut liceat facit, quia quinquennii potestatem dat: quare in ius ac poenam vocari non possunt. — *spoliationes.* Immerito hoc displicuit quibusdam, qui Pithoei coniecturam *sponsiones* anteferrent: in qua ipsa iniuriae sociis illatae significatio obscurior est. At spoliatio est, cum eripitur sociis pecunia, quam illi metu repetere non audent nec genitivus eius, qui spoliatur, non facile cogitatur. *Pactio* est, cum Xviri cum sociis ne iniuria afficiantur, certam pecuniam constituunt, *nundinatio* denique, quae longe flagitiosissima est, cum apud Xviros mercatura bonorum ac iuris instituitur ac quasi plurimum promittenti plurima commoda addicuntur. Solitum id est in hoc ipso crimine vocabulum, cf. Phil. II, 45, 115; in Verr. V, 5, 10; I, 46, 119, atque aliquotiens etiam verbum nundinandi sic usurpatur.

bit enim quod videbitur publicum iudicare, quod iudicarint vendere. Etiam illud, quod homines sancti non facient, ut pecuniam accipiant, ne vendant, tamen id iis ipsum per legem licebit. Hinc vos quas spoliationes, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem iuris ac fortunarum fore putatis?

Etenim quod superiore parte legis praefinitum fuit, *Sulla* 10
et Pompeio consulibus, id rursus liberum infinitumque fecerunt. Iubet eosdem Xviros omnibus agris publicis pergrande vecti- IV
gal imponere, ut iidem possint liberare agros quos commodum sit et quos ipsis libeat publicare. Quo in iudicio perspici non potest, utrum severitas acerbior an benignitas quaestuosior futura sit. Sunt tamen in tota lege exceptiones duae, non tam iniquae quam suspiciosae. Excipit enim in vectigali imponendo agrum censorium Siciliensem, in vendendis agris eos agros, de quibus cautum sit foedere. Hi sunt in Africa, qui ab Hiempsale possidentur. Hic quaero: si Hiempsali satis est cautum foe- 11

10. *Iubet enim eosdem. — possint et liberare. — sit futura. — agrum Recentoricum. —*

10. *superiore parte legis.* Periit id caput in hac quidem oratione, sed reperitur in orat. II, 15, 38. Quod autem ait *liberum infinitumque fecerunt,* brevius orat. II, 21, 56 dicit *infinito ex tempore.* Ad eum locum disputavimus de reliquis rebus, quae hic commemorantur, de vectigali imponendo, de verbo liberandi, denique de agro censorio Siciliae (nam sic hic quoque de coniectura scripsimus), de agris regis Hiempsalis. — *severitas acerbior.* Severitas erit, si Xviri agros publicos populi Rom. esse iudicabunt, cum possessoribus cum magna acerbitate vectigal illud pergrande imponetur, benignitas, si agros eorum, qui tenebunt, proprios esse dicent, cum veteres possessores Xviris ad hoc ius obtinendum magnas pecunias corrumpendi causa dabunt. Oportet autem esse *futura sit,* improbandumque quod deteriores cod. habent *sit,* quia severitas et benignitas perlata demum lege ulla esse poterit. — *suspiciosae* i. e. suspicionem afferunt, ut Xviri pecunia corrupti esse videantur. Id et orat. II § 57 et 58 pluribus exequitur et paulo post significat *duas causas in orbe terrarum repertas, quibus gratis parceret.*

11. *quid attinet excipi.* Quod adhuc editum est *quid attinuerit excipi,* emendatione librariorum natum esse ostendit codicum meliorum consensus. Movebat eos, quod coniunctivo opus esse putabant, fortasse etiam, quod deinceps *putet* legebatur, cui prius verbum assimilari volebant. At constat nonnunquam pro indirecta interrogatione poni eam, quae non subiungatur, verum tantum extrinsecus quasi addatur simillimoque ex genere est p. Lig. 8, 24: *quaero, quid facturi fuistis?* Itaque certe ferri potest *attinet,* ac facile emendatur *putat.* Neque enim, si prius membrum liberiore ratione adiunxit, faciendum, ut alterum cum astrictiore severitate subiunxisse videatur. — *num-*

dere et censorius ager privatus est, quid attinet excipi? sin et foedus illud habet aliquam dubitationem et ager censorius dicitur nonnunquam esse publicus, quem putat existimaturum duas causas in orbe terrarum repertas, quibus gratis parceret? Numquisnam tandem abstrusus nummus usquam videtur, quem non architecti huiusce legis olfecerint? Provincias, civitates liberas, socios, amicos reges denique exhauriunt: admovent manus vectigalibus populi Romani. Non est satis.

12 Audite vos, qui amplissimo populi senatusque iudicio exercitus habuistis et bella gessistis: *quod ad quemque pervenit*

11. et Recentoricus ager. — quid attinuerit. — quem putet. — ager Recentoricus. — Num quisnam tam abstrusus usquam nummus. — 12. Audite, audite vos. —

quisnam. Vera haec est Lauredani coniectura. Nam quod codices habent *nunc quisnam* esset *rebus sic comparatis quisnam* eaque particula oppositio quaedam significaretur, quae cum in eadem re orator pergat, hic nulla est. Cf. de orat. II, 3, 13 *Quid vos tandem, Crassus, numquidnam, inquit, novi?* orat. part. 7, 26 *numquidnam de oratore ipso restat?* p. Rosc. Am. 37, 107 *Numquisnam praeterea? Nemo est, iudices.* Illud h. l. notabile, quod augendi causa adiicitur *tandem.* Neque enim video, cur id vetustissimi iam editores in tanto codicum consènsu mutarint in *tam.* Quasi vero Latinum non sit *nullus nummus abstrusus videtur, quem non olfecerint!* Cf. orat. II, 18, 49 *quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrantur.* *Architecti* autem nomen solet ad dolos et malam rem applicari, ut p. Rosc. Am. 45, 132 *omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum,* p. Cluent. 22, 60 *ipsum principem atque architectum sceleris absolverent?* Atque ita est infra § 16 *istis tuis harum rerum machinatoribus,* et orat. II, 18, 50 *ad illius opes evertendas tamquam machina comparatur.* — *amicos.* Superiores editores solebant hoc tamquam ex aequo positum atque ea quae antecedunt intelligere, quod quale esse possit non perspicio. Provincias intelligo, civitates liberas intelligo, item socios, nimirum foederatas civitates, sed amici a Romanis nunquam appellantur nisi ipsi illi qui sequuntur reges. Num igitur eiicere placet *amicos?* Non probo tantam vim, sed coniungendos esse censeo *amicos reges,* ut coniunctio *denique* tertio loco regibus addita huic rei, quod reges ipsi exhauriantur, pondus aliquod adiiciat. Etenim sunt etiam alii reges, nulla amicitia cum populo Romano coniuncti, quos vexari Cicero non potest aegre ferre.

12. *audite.* Geminare hoc verbum nunc solent editores, nos cum in senatu oratio habeatur, tantam dicendi vehementiam quam cod. auctoritas non comprobet, inutilem esse iudicamus. — *perveuit* qui *pervenerit.* Certa est haec omnium codicum nostrorum lectio, cui assentiendum. At in legibus edictisque cum tempora, praesens, praeteritum, futurum, cumulari soleant, ne qua res non comprehendatur, particula nunquam interponitur. Neque Cicero eam inseruisset, si ipsius legis verba referre voluisset, sed ea non referri

aut pervenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque consumptum in monumento neque in aerarium relatum sit, id ad Xviros referri iubet, Hoc capite multa sperant: in omnes imperatores heredesque eorum quaestionem suo iudicio comparant, sed maximam pecuniam se a Fausto ablaturos arbitrantur. Quam causam suscipere iurati iudices noluerunt, hanc isti Xviri suscipient: idcirco a iudicibus fortasse praetermissam esse arbitrantur, quod sit ipsis reservata. Deinde etiam in reliquum tempus 13

ad quemque pervenerit. — decemviri suscipere. —

sententiamque solam exhiberi docet verbum *iubet*: quid igitur legum consuetudinem, quae a cotidiano usu recedat, immutatam esse miremur? Ac mutavit etiam orat. II, 22, 59, ad suam prorsus orationem legis verba accommodans. Sed cum esset in lege Servilia *pervenit, pervenerit*, ut in futurum etiam tempus imperatores praedam ad Xviros referre iuberentur, insuper tamen peculiare caput, quod eodem pertineret propriamque sanctionem haberet, adiectum esse ostendit § 13. De *manubiis, auro coronario* reliquisque, quae commemorantur, rebus disputatum est ad orat. II, 22, 59. Citat autem *ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario* Gell. Noct. Att. XIII, 24, 6. — *a Fausto* i. e. a Fausto Cornelio Sulla, dictatoris filio. Nam cum dictator per multos annos remp. suo arbitrio rexisset, pecuniam ex aerario ac vectigalibus sumpsisset, plurimorum civium bona publicasset, defuncto eo qui Sullanarum partium inimici erant, maximam pecuniam publicam apud filium residuam esse criminabantur, ac saepe re frustra iactata (Ascon. ad Cic. Cornel. p. 72) tribunus quidam anno 66 apud C. Orchivium praetorem Faustum postulavit; sed iudices rem non susceperunt, sive, ut ait Cicero p. Cluent. 34, 94, quod Faustum nimis tribuniciis opibus premi intelligebant, sive, ut equidem mihi persuadeo, quod rem invidiosam, quae melius oblivione sepeliretur, in lucem protrahi nolebant. Notabile autem est, quod Cicero hanc Fausti causam in oratione altera ad populum non commemorat, eam ob rem, ut existimo, quod populo Fausti nomen parum gratum erat, quem si Xviri viderentur esse vexaturi, commendationi id iis potius fuisset. — *suscipient.* Coniectura haec nostra est nec satis certa, etsi, quod vulgo editur, falsum esse intelligimus. Nam meliores nostri codices habent *suscipere*, deteriores *suscepere*, atque hoc alterum solet nunc edi. Sed dubium tamen est, num usquam Cicero hac perfecti forma usus sit (cf. C. T. patruum ad Cic. in Verr. I, 6) demptoque loco in Pis. 40, 96, ubi *fuere* incertae auctoritatis est, superest de leg. I, 2, 6, ubi pro eo quod editur *successere huic* scribendum esse censeo *successerunt*, epist. X, 19, 2 *dedere*, denique hic locus, quo *suscipere* librariorum ad prius illud *suscipere* aberrantium vitio extitisse iudico. Nec perfectum omnino huic loco aptum esse censeo, siquidem suscipi ante quam deferri causa Fausti non poterat, deferebatur autem ipsa hac lege. Quare scripsimus *suscipient* mutatione lenissima, quae in hac codicum nostrorum natura neminem offendere debet.

13. *protinus — deferat.* In hoc igitur huius capitis vis erat posita, ut in posterum imperatores quidquid praedae cepissent, statim ad Xviros, non

diligentissime sancit, ut, quod quisque imperator habeat pecuniae, protinus ad Xviros deferat. Hic tamen excipit Pompeium, simillime, ut mihi videtur, atque ut illa lege, qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur. Non enim hac exceptione unus afficitur beneficio, sed unus privatur iniuria. Sed cui manubias remittit, in huius vectigalia invadit. Iubet enim pecuniam, si qua post nos consules ex novis vectigalibus recipiatur, hac uti Xviros. Quasi vero non intelligamus haec eos vectigalia, quae nobis Pompeius adiunxerit, vendere cogitare.

V, 14 Videtis iam, patres conscripti, omnibus rebus et modis constructam atque coacervatam pecuniam Xviralem. Minuetur

13. *pecuniae habeat.* — *decemviros referat.* — *atque illa lege.* — *quae Cn. Pompeius* — 14. *constructam et coacervatam.* —

in aerarium deferrent. De deferendi verbo cf. infra ad orat. II, 22, 59. — *atque ut illa lege.* Intelligitur Papia ante biennium, anno 65 a. Chr., lata, de qua nuper ipsi diximus in Studiis Romanis p. 351. Quod ad verborum integritatem attinet, *atque ut* edidimus codicum consensum secuti: in qua dicendi formula *ut* tamquam redundat, quasi germanice dicas *eben so als wie.* Multis id exemplis docuit Handius Tursell. I p. 471. — *privatur iniuria* i. e. liberatur iniuria, ut de fin. I, 11, 37 *privari dolore,* ad Att. XII, 26, 2 *privare molestia;* nam ad Att. I, 16, 9 *privare exilio* cum acerba simulatione dictum est. Quare Lambini coniectura *prohibetur iniuria* facile caremus. Paulo post necesse est scribi *in huius vectigalia,* quia invadendi verbum Cicero nunquam sine praepositione ponit. — *nobis Pompeius.* Non dubitavimus sic scribere ex unius cod. 9 fide; nam Pompeium, ingenti tunc gloria virum ac saepe ab ipso Cicerone commemoratum, praenomine carere facile patimur, at non ferimus abesse dativum, qui in adiungendi verbo utique requiritur.

14. *rebus et modis. Res* sunt vectigalia pop. Romani, quae Rullus venditurus est, *modi* reliqua genera colligendae pecuniae. Parum igitur placet quod Lambinus emendabat *rationibus et modis,* quod ne Latinum quidem satis videtur; nam etsi saepissime dicitur *ratio et modus,* pluralis non item usurpatur. Insolentius autem appellat *constructam — pecuniam;* nam proprie acervus tantum pecuniae construitur, ut Phil. II, 38, 97 *Itaque tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut iam expendantur, non numerentur pecuniae,* neque h. l. dixisset, nisi *coacervatam* addidisset. — *cavet enim vir optimus.* Quod antecedit *utrumque horum facies quanti voles* posset esse *et in vendendo et in emendo pretium statues quantum voles,* sed vix potest esse, quoniam venditor ex voluntate emere cupientium, emptor ex voluntate vendentium pendet. Quare sic potius intellige *et in vendendo et in emendo quaestum quantum voles facies,* idque Cicero in emendo quale sit demonstrat. Etenim videbatur sane Rullus propter institiam humanitatemque animi fecisse, ne emere ab invito statueret (atque ideo cum simulatione *vir optimus* appellatur), sed suspicio tamen erat magna, si a quibus emeret, ipsi vellent ven-

huius pecuniae invidia: consumetur enim in agrorum emptionibus. Optime. Quis ergo emet agros istos? Iidem Xviri: tu, Rulle, (missos enim facio ceteros) emes quod voles, utrumque horum facies quanti voles. Cavet enim vir optimus, ne emat ab invito. Quasi vero non intelligamus ab invito emere iniuriosum esse, ab non invito quaestuosum. Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, socer tuus? etsi ego eius aequitatem animi probe novi, vendet non invitus. Facient idem ceteri libenter, ut possessionis invidiam pecunia commutent: accipiant quod cupiunt, dent quod retinere vix possunt. Nunc prospicite omnium rerum infinitam atque intolerandam licentiam. Pecunia coacta est ad agros emendos: ii porro ab invitis non ementur. Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? Referetur pecunia? Non

Quis igitur emet. — 15. *Nunc perspicite.* —

dere, rem non fore sine quaestu ementis. — *socer tuus*, quem Valgium nominat orat. III, 1; cf. orat. II, 26, 69. In quo quam *aequitatem animi* commemorat, eam dicit virtutem, quae facit, ut nulla re vehementer afficiamur nec irascamur aut aegre sive *iniquo animo* feramus. Quae virtus cum in aliis rebus sit magni facienda, in aliis, si malam famam eaque quae emendare possis aequo animo feras, pro vitio potius habenda est. Itaque non laudat Cicero h. l. Valgium, sed acerbe sub specie virtutis vituperat. Aequo eum animo ferre ait turpitudinis famam, quam coëmendis Sullana aetate proscriptorum bonis contraxerat: nihil curare invidiam, aut tot hominum innocentium exitium, dummodo divitias sibi comparet. Sed tamen, quamvis ita homines hominumque sermones contemnat, non invitum facturum esse, ut *possessiones invidiosas* (nam haec est illa quae deinceps commemoratur *possessionis invidia*) vendat pecuniamque, cui invideri non possit, condat. Pluribus h. l. exposuimus, quia minus eum recte ab interpretibus intelligi arbitramur.

15. *prospicite.* Parum fidei est in libris ms. ad diiudicandum, utrum *perspicite* an *prospicite* esse oportoat; sed per se ipsum h. l. praefero *prospicite*, quod ea de re agitur, quae ex lege consecutura sit, non quae ipsa lege sanciatur. Iubet igitur orator animo quasi prospicere, quod futurum sit, non quod dicatur, penitus cognoscere. Quamquam *prospicite* etiam maiore codicum auctoritate defenditur. *Licentia* autem est nimia libertas, quae in Xviris erit, ut pecuniam quoad volent retinere liceat. — *referetur* a Xviris ipsis in aerarium, *exigetur*, i. e. magistratus aliquis a Xviris exiget rationemque reddere coget, quantum consumpserint, quantum residuum sit. Cf. orat. II, 27, 72 *et referre in aerarium lex vetat et exigi prohibet.* — *aut invidiae aut pestilentiae* breviter, sed insolenter dictum pro agris invidiosis aut pestilentibus. Invidiosi autem sunt ii, qui de bonis proscriptorum ad hastam Sullanam empti sunt; machinantur enim illorum filii, ut patrimonia sua recuperent. Pestilentes quidem multae partes Italiae sunt, velut ora maritima Etruriae et Apuliae; Salpinorumque pestilentiam commemorat ipse orat. II, 37, 71.

licet. Exigetur? Vetat. Verum esto: nihil est quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor. Spoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus aerarium, ut locupletatis aut invidiae aut pestilentiae possessoribus, agri tamen emantur.

16 Quid tum? quae erit in istos agros deductio: quae totius rei ratio atque descriptio? Deducentur, inquit, coloniae. Quot? quorum hominum? in quae loca? quis enim non videt in coloniis esse haec etiam consideranda? Tibi nos, Rulle, et istis tuis harum rerum machinatoribus totam Italiam inermem tradituros existimasti, quam praesidiis confirmaretis, coloniis occuparetis, omnibus vinclis devinctam et constrictam teneretis? Ubi enim cavetur ne in Ianiculo coloniam constituatis? ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis? Non faciemus, inquit. Primum nescio, deinde timeo, postremo non committam, ut vestro beneficio potius quam nostro consilio salvi esse
VI, 17 possimus. Quod vero totam Italiam vestris coloniis complere

16. coloniae. Qua? quorum. — haec omnia consideranda. — harum omnium rerum. — 17. vestris colonis. —

16. *Quot?* Lauredani haec coniectura est (nam codices habent *quo*) quae cur vera esse videatur, diximus ad orat. II, 27, 74. Ac quam facile h. l. tales errores accidere potuerint, ostendunt etiam quae insequuntur. Etenim nos propter cod. 9 scripsimus *esse haec etiam consideranda*, reliqui libri ms. habent *esse haec omnia consideranda*. Ferri potest omnino utrumque, item quam facile haec confundi potuerint apparet; nos *etiam* praetulimus cum constantiae causa, tum quod paulo est exquisitius. Non modo, inquit, considerandum est, quam utile sit plebem urbanam minui et Italiam frequentari, verum etiam, quot coloniae et quorum hominum et quae in loca deducantur. Ac nescio quomodo h. l. librariis nimis adiectivum *omnis* placuit. Nam paulo post rursus ex cod. 9 edidimus *harum rerum machinatoribus* (i. e. C. Caesari et M. Crasso, nam hos intelligi diximus ad orat. II, 24, 65), reliqui codices inserunt *harum omnium rerum machinatoribus*, cum *omnes* res dici sit inutilissimum. — *in Ianiculo*, qui arcis loco iuxta Romam erat, ut eum comitiis centuriatis praesidio obtineri vetus mos fuerit. Cf. orat. II, 27, 74. Animadverto autem, non sine causa eum dixisse *ne urbem hanc — premere — possitis*. Satis enim erat *ne prematis*; sed tolli volebat lege omnem facultatem urbis premendae, caveri hoc, ne in cuiusquam potestate esset urbem premere. Cf. infra ad orat. II, 11, 29. Paulo ante quod ex codicum fide editur *vinclis*, cf. C. T. patruus ad Cic. in Verr. V, 7, 17. — *deinde timeo*, timidiore sum animo, ut quamvis nihil fortasse periculi immineat, omni tamen ratione securitati meae prospicere cupiam.

17. *coloniis.* Cur ab hac omnium codicum lectione ad Lauredani con-

voluistis, id neminem nostrum cuiusmodi esset intellecturum existimastis? Scriptum est enim: *quae in municipia quasque in colonias Xviri velint, deducant colonos quos velint et iis agros assignent quibus in locis velint;* ut, cum totam Italiam militibus suis occuparint, nobis non modo dignitatis retinendae, sed ne libertatis quidem recuperandae spes relinquatur.

Atque haec a me suspicionibus et coniectura coarguuntur. 18
Iam omnis omnium tolletur error: iam aperte ostendent sibi

cuiusmodi esset neminemne nostrum. — existimavistis. — retinendae, verum ne. —

iecturam *colonis* transiretur, nulla erat causa. Neque enim Latine tantum coloniae appellantur, quae universum oppidum obtinent, verum etiam si quod hominum corpus vel veteri coloniae vel municipio ita adiicitur, ut, quamvis cum reliquis coalescat, suam tamen quandam quasi interiorem rempublicam retineat, ea item colonia rite nominatur. Atque huius generis colonos Rullum oppidis Italiae addere voluisse, ut non per ceteros incolas dispersi singillatim nihil valerent, sed quodam inter se vinclo coniuncti Xvirum memoriam ac caritatem retinerent apparet. Cf. orat. II, 28, 75 *Ut vero totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare cogitent, quaeso, Quirites, cognoscite,* unde intelligimus, qua ratione colonos a Xviris deductos infra *milites* appellet. Paulo post in collocatione verborum cod. 9 secuti sumus, item in interrogandi particula *ne* omittenda, qua videmur posse carere. Cf. supra § 16. Nam ut *existimastis* ederemus, meliorum codicum auctoritas suadebat. — *non modo dignitatis retinendae* seq. Metum dominationis senatoribus proponit, qua futurum sit, ut non modo senatus auctoritas, quae in civitate summa esse debet (atque in ea retinenda sita est *dignitas* senatus propria), verum etiam totius populi libertas tollatur. Cum ad populum dicit, orat. II, 28, 73, in eadem hac re libertatis tantum interitum deplorat.

18. *Iam omnis* seq. De colonia Capuam deducenda dicturus priora debilitat quasi suspicionibus tantum nixa, cum manifestum sit eum qui Capuam restituere velit, urbem Romam odisse. Nimirum hic timor bello Punico altero natus est, cum Campani Hannibalis promissis in spem adducti sunt, fore ut ipsi Italiae imperarent. Hinc est quod paulo post ait *rursus opponere*, tamquam Xviri Hannibalis similes sint. — *hoc templum Iovis.* Nimirum in eo senatus rite habebatur Cal. Ian., quo sacra sollemnia facienda votaque pro republica suscipienda erant. *Hanc arcem omnium gentium* appellat, ubi auxilium praesidiumque gentes inveniant, ut in Cat. IV, 6, 11 *Videor enim mihi videre hanc urbem, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium.* — *superbiam et crudelitatem genuisse dicitur.* De superbia Campanorum nota res copiosiusque eam commemorat orat. II, 34, 92. Crudeles autem ea de causa videtur vocare, quia gladiatores inter epulas spectare solebant (Liv. IX, 40; Sil. Ital. XI, 51); nam alibi crudelitas non notatur. — *modesti.* Sic recte in cod. 9 esse arbitror; reliqui quidem habent *modeste*, quod quomodo ferri possit aut tulerint adhuc interpretes, non video. Nam *modeste continere insolentiam* ineptum est, nec propter illud quod antecedit *moderate ferre*, hic

nomen huius reipublicae, sedem urbis atque imperii, denique hoc templum Iovis optimi maximi atque hanc arcem omnium gentium displicere. Capuam deduci colonos volunt: illam urbem huic urbi rursus opponere, illuc opes suas deferre et imperii nomen transferre cogitant. Qui locus propter ubertatem agrorum abundantiamque rerum omnium superbiam et crudelitatem genuisse dicitur, ibi nostri coloni delecti ad omne facinus a Xviris collocabuntur. Et, credo, qua in urbe homines in veteri dignitate fortunaque nati copiam rerum moderate ferre non potuerunt, in ea isti vestri satellites modesti insolentiam suam continebunt.
19 Maiores nostri Capua magistratus, senatum, consilium commune, omnia denique insignia reipublicae sustulerunt, neque aliud quicquam nisi inane nomen Capuae reliquerunt, non crudelitate — quid enim illis fuit clementius, qui etiam externis hostibus victis sua saepissime reddiderunt? — sed consilio, quod videbant, siquod reipublicae vestigium illis moenibus contineretur, urbem ipsam imperio domicilium praebere posse: vos haec, nisi evertere rem-

18. *satellites modeste.* — 19. *quidquam in urbe nisi.* — *illis* [*fuit*] *clementius.* —

quoqne adverbium esse oportet. Nam qui continet ei qui moderate non fert opponitur. Qnare modestos satellites intelligemus cum simulatione dictos pro immodestis, effrenatis, quos ipse *ad omne facinus delectos* appellavit. Paulo ante omnium codicum auctoritas tuetur *veteri*, quod cum magis Tullianum sit *vetere*, non prorsus tamen contemnendum esse diximus ad Cic. p. Mur. 8, 17.

19. *consilium commune* i. e. *publicum consilium*, ut de eadem Capua dicit orat. II, 32, 88, ad quem locum plura de severitate, qua Romani in punienda Capua usi sunt, diximus. Potest autem h. l. codicis Erfurtensis, cui adhuc editores plurimum fidei habere solebant, natura cognosci. Habet enim primum *neque aliud quicquam in urbe — reliquerunt*, ubi illud quod est *in urbe* quis non videt interpretandi causa ab librario esse adiectum? Adeo et ad sententiam inutile est nec iis, quae in orat. II, 32, 88 sunt, defenditur. Deinde idem omittit *fuit*, quod abesse non posse usus Tullianus docet. Denique corrumpit sententiam falsa verborum collocatione exhibens *hostibus externis*. Dicuntur enim hostes extra Italiam, quibus victis Romani saepissime oppida agrosque, quae iure victoriae ceperant, possidenda tamen reddiderunt (cf. ad orat. II, 21, 57 de agro censorio Siciliae), nedum Italicis gentibus victis non videantur omnia quae tuto liceret, fuisse concessuri. Omnis igitur vis in adiectivo est, quod praecedere utique oportet. — *urbem ipsam*, quippe quae non modo ipsa amoenior esset ac melius descripta quam Roma, sed etiam agris fertilissimis oppidisque opulentis circumdaretur. Pluribus eam rem exequitur in orat. II, 35. Paulo post delevimus dativum *vobis*, qui in omnibus praeter Lag. 9 codicibus addi solet, qui vix a quoquam desiderabitur.

publicam cuperetis ac novam dominationem comparare, credo, quam perniciosa essent non videretis? Quid enim cavendum VII, 20
est in coloniis deducendis? si luxuries, Hannibalem ipsum Capuae corrupit: si superbia, nata esse ibi ex Campanorum fastidio videtur: si praesidium, non praeponitur huic urbi ista colonia, sed opponitur. At quemadmodum armatur, dii immortales! Nam bello Punico, quicquid potuit Capua, potuit ipsa por sese: nunc omnes urbes, quae circum Capuam sunt, a colonis per eosdem Xviros occupabuntur. Hanc enim ob causam permittit ipsa lex, in omnia quae velint oppida colonos ut Xviri deducant quos velint, atque his colonis agrum Campanum ac Stellatem campum dividi iubet.

Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium 21
huius iacturae atque damni, praetermitto illa, quae nemo est

ac vobis novam. — 20. *ipsum Capua corrupit.* — *nata inibi esse* [*haec*] *ex Campanorum.* — *Campanum et Stellatem.* — 21. *deminutionem.*

20. *Capuae.* Sic unus cod. 9 habet, sed verius videtur esse quam quod reliqui ms. libri praebent *Capua*, quod si legatur, addendum erit luxuria Capuam corrupisse Hannibalem. Nunc ipsa luxuries pro subiecto erit, similiter atque in orat. II, 35, 95 *illa luxuries, quae ipsum Hannibalem armis etiamtunc invictum voluptate vicit.* Veruntamen librarii quoniam apodosis novum subiectum introduxerant, cogebantur etiam insequentis sententiae apodosi subiectum addere effeceruntque *haec*, quod nos eiusdem codicis auctoritate delevimus. Idem denique adversatur ei, quod ex deterioribus libris ms. quidam, editiones adhuc prope omnes tenuerunt *inibi esse.* Neque videtur id apud Ciceronem usitatum esse nisi in locutione *inibi esse* i. e. *in eo esse*, ut Phil. XIV, 2, 5. — *in omnia quae velint oppida* cet. Minus recte quidam interpretes haec ita acceperunt, ut novum legis Serviliae caput significari arbitrarentur. Immo est idem, quod supra § 17 citarat atque in una hac re h. l. recedit, quod quae illic separatim commemorantur *quae in municipia quasque in colonias* — *velint*, ea hic uno oppidorum nomine comprehenduntur. Ostendit id aperte orat. II, 31, 86, ubi de Campana colonia disputans sic dicit: *Nam dixi antea lege permitti, ut quae velint municipia, quas velint veteres colonias colonis suis occupent*, et rursus municipia ac colonias separans et ante iam id legis caput citatum esse adiiciens. De *campo Stellati* cf. ad II, 31, 85.

21. *diminutionem vectigalium.* Postquam Oudendorpius ad Suet. Caes. c. 5 docere coepit, *deminui*, quod decrescat sive minus fiat quam fuerit, *diminui*, quod confringatur aut in minutiores partes dissipetur, hoc fere apud Ciceronem consecutum est, ut ubique *deminui* scriberetur nec ullus locus reperiri videretur, quo non decrescendi significatio longe aptior existimaretur. Codicum quidem auctoritas negligebatur, quae, ut uno aliquo loco in tantula re non est nimis magni facienda, ita, si saepius eadem recurrat, neqnaquam

quin gravissime et verissime conqueri possit, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani possessionem, sub-

debet contemni. Quare apud alios scriptores, velut apud Livium, prout codicum fides postulat, nunc modo *deminuere*, modo *diminuere* scribi coeptum est. Vide ad II, 1 et XXI, 17. Neque mihi ratio ipsa ac similitudo Oudendorpianam regulam satis videbatur tueri. Nam ut quae similiter composita sunt, comparemus, *discedere* etsi est in varias partes separari, non minus significat seiungi ab aliquo: *dimittere* non tantum est multitudinem discedere, sed etiam unum aliquem secedere iubere, *diducuntur* et *distrahuntur* non modo plures in diversas partes, sed etiam singuli ab singulis. Cf. de verbis *dimovendi* et *demovendi* nos ad Cic. p. Mur. 38, 82. Cur igitur *diminuere* sit tantum in minutiores partes dissipare? Immo nondum ullum certum eius significationis locum me invenisse fateor, ac *comminuere* potius esse censeo, quod illi *diminuere* esse volunt. Ac quamquam difficile est de codicum auctoritate, quae parum vel explorata vel nota est, statuere, saepius adeo apud Ciceronem *diminuere* reperiri arbitror quam *deminuere*; in illo enim maior quaedam demendi sive disiungendo minuendi vis videtur esse. Itaque in orat. II, 6, 16 *libertatis diminutio* haud dubia codicum meliorum auctoritate commendatur atque omnium etiam deteriorum consensu fortasse postularetur, nisi ii aliter peccassent. Nam in Cat. III, 10, 24 *quanta diminutione civium*, p. Caec. 2, 5 *pars aliqua iuris diminuta*, ibid. 13, 38 *si ulla ex parte sententia huius interdicti diminuta aut infirmata sit*, p. Sull. 20, 56 *praediis diminutis* (sic enim omnes Lagomarsiani libri habent) vix ullus est codicum dissensus; nec dubitandum est de harusp. resp. 19, 40, pluresque eiusmodi loci reperiuntur. Quamquam sunt alii loci, ubi suus deminuendi verbo honos habendus sit, velut p. Planc. 38, 91 *si quis idcirco aliquid de libertate mea deminutum putat*, p. Sull. 1, 2 *tantum se de huius praesidiis deminuturum*, ubi quia praepositio *de* addita est, deminuere videtur esse rectius: quibus locis codices, quamvis paululum dissentientes, cum maiore tamen auctoritate *deminuere* defendunt, eoque aequius est etiam *diminutioni* et *diminuendo* suum honorem restitui. Hoc quidem loco ab eo, quod omnes codices tuerentur, propter regulam et ratione et auctoritate incertam discedere noluimus ac cum hoc loco *diminutio vectigalium* placeat, item in Verr. III, 55, 127 *cum — vectigalia pop. Romani sint diminuta*, etsi librorum ms. ibi ambigua est fides, scribendum esse censeo. — *caput patrimonii publici* i. e. praecipuam eius partem, ut campus Leontinus in Verr. III, 18, 47 dicitur *caput rei frumentariae*; item *caput coenae* (Tusc. V, 34, 98), *caput artis* (de orat. I, 29, 132), *caput oratoris* (ibid. I, 19, 87), *caput litterarum* (Phil. II, 31) multaque similia usurpantur. Paulo post delevimus, quod cod. 9 omittit *vectigal*; est enim non modo eiusmodi, ut facile abesse possit, sed etiam ingenio librariorum aptissimum. Cf. orat. II, 29, 81. Nec magis dubitavimus *gravissime et verissime* ex Naugerii coniectura scribere, cum codices omnes *gravissima et verissima* habeant, quos minus recte quidam recentiores interpretes secuti sunt. Quis enim apud Ciceronem *grave conqueri* ferat? — *ipse per sese* i. e. dignitate sua, quod et Gracchi et Sulla sine eo civitatem stare non posse intelligebant,

sidium annonae, horreum belli, sub signo claustrisque reipublicae positum servare non potuisse, eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per sese et Sullanae dominationi et Gracchorum largitioni restitisset: non dico hoc solum in republica vectigal esse, quod amissis aliis remaneat, intermissis non conquiescat, in pace niteat, in bello non obsolescat, militem sustentet, hostem non pertimescat: praetermitto omnem hanc orationem et contioni reservo, de periculo salutis ac libertatis loquor. Quid 22

positum vectigal servare. — solum hoc.

ut defensione consulis, quae tunc adversus Rullum parata erat, ne opus quidem esset. Cf. orat. II, 29, 81. Paulo post ubi ait *in pace niteat, in bello non obsolescat,* admiranda est praeclara orationis felicitas. Nitor enim proprie est de rebus pinguibus, oleo tinctis, sed transfertur etiam ad agros bene cultos, quare in Verr. III, 18, 47 dicuntur *campi collesque nitidissimi viridissimique.* Opponuntur rebus nitidis horridae, neglectae, squalidae, ut orat. 32, 115 *quod sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in iis explicandis quidam orationis nitor,* de leg. I, 2, 6 *habuit vires agrestes — atque horridas, sine nitore ac palaestra,* quaeque nitore carent, *obsolescunt*; cf. p. Sest. 28, 60 *virtus splendet per sese semper neque alienis unquam sordibus obsolescit;* p. Quinct. 18, 56 *splendor omnis obsolevit.*

22. *Quid enim existimatis* sq. Secuti h. l. sumus auctoritatem cum reliquorum codicum nostrorum tum Lag. 9. Primum enim scripsimus *nobis in republica,* sed deinceps *in vestra libertate.* Nam dominationem a Xviris institui ait, qua fit, ut et populi et senatus potestas tollatur; sed quoniam in senatu verba facit, si *vobis* diceret, omisso populo bis eandem fere rem commemoraret; prima pronominis persona dum et se ceterosque magistratus et senatores et omnes denique cives complectitur, et eam reipublicae partem, quae penes populum ac magistratus erat, commemorat et peculiariter tamen senatus mentionem facit, cuius proprie est dignitas. Cf. supra § 17. Tum edidimus *retinendum,* quod noli interpretari *quid poterit retineri,* sed *quid erit eiusmodi, quod retineri debeat, quod operae pretium sit retineri,* ut non eius quod fieri possit, sed eius quod deceat atque oporteat fieri, significatio insit. Nec recte vituperatur *quid in vestra libertate erit retinendum,* pro quo poterat sane dici *quid ex vestra libertate erit retinendum,* necesse non erat, ac saepius de parte aliqua numeri multitudinisque *in* dici constat. Contra, quod deteriores codices commendant, *quid existimatis integrum fore in vestra libertate retinenda,* vereor ut Latine quidquam possit esse aliud nisi hoc: quid existimatis posse fieri in vestra libertate retinenda, quod non Xviri illi quasi inchoarint, nihil de retinenda vestra libertate novum excogitare poteritis: unde contraria ac requiritur sententia existit. — *ii, quos — timetis,* i. e. C. Caesar et M. Crassus, quos iam supra § 1 notavit. — *circa Capuam.* Sic rectissime scribi atque improbandam esse illorum deteriorum, quos dixi, codicum lectionem *circa eam* optime demonstravit Gebhardt. libro citato p. 11;

2*

enim existimatis integrum nobis in republica fore aut in vestra libertate ac dignitate retinendum, cum Rullus atque ii, quos multo magis quam Rullum timetis, cum omni egentium atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento et auro Capuam et urbes circa Capuam occuparint.

His ego rebus, patres conscripti, resistam vehementer atque acriter neque patiar homines ea me consule expromere, quae
23 contra rempublicam iam diu cogitarint. Errastis, Rulle, vehementer, et tu et nonnulli collegae tui, qui sperastis vos contra consulem veritate, non ostentatione popularem posse in evertenda republica populares existimari. Lacesso vos: in contionem voco:
VIII populo Romano disceptatore uti volo. Etenim, ut circumspiciamus omnia, quae populo grata atque iucunda sunt, nihil tam populare quam pacem, quam concordiam, quam otium re-

22. *integrum vobis. — dignitate retinenda. — cogitarunt.*

solere enim Latinos erroris vitandi causa in eodem enuntiato et nomina propria et alia vocabula bis terve potius ponere quam eorum significationem pronomine demonstrativo indicare. Ex magna exemplorum copia, quae attulit, haec refero, supra § 20 *Capua — urbes quae circum Capuam sunt*, Pomp. apud Cic. epist. VIII, 12, A, 3 *Capuae et circa Capuam;* ad Att. XVI, 8, 1 *Capuae vel non longe a Capua;* p. Mur. 15, 28 *neque extra Romam neque Romae;* ad Att. V, 7 *cum Pompeio et apud Pompeium;* p. Flacc. 14, 32 *una pars supra Ephesum, altera pars infra Ephesum;* de opt. gen. 4, 10 *in foro et in omnibus templis, quae circum forum sunt.* Quamquam quod idem vir doctus pro eo quod est *circa Capuam* scribendum esse suspicatur *circum* propterea quod ea praepositionis forma sola apud Ciceronem usitata fuerit, dissentire nos iubet h. l. consensus codicum, itemque in Verr. I, 48, 126 et 51, 133; IV, 48, 107 *circa* recte videtur edi.

23. *nonnulli collegae*, qui Rullum in ferenda lege adiuvabant. Quot fuerint, non constat, Cicero quidem nonnullos dicens non multos fuisse significat. Illud certum est, si persisteret Rullus, paratos fuisse intercessores. Cf. Cic. p. Sull. 23, 65. Paulo post *veritate* non est i. q. *re vera*, sed animi sui consilium verum atque integrum significat. Cf. ep. XIII, 31, 2 *neque id ambitione adductus facio, sed cum familiaritate et necessitudine, tum etiam veritate.* Plura autem de populari consulatu suo exponit orat. II, 4, 9. — *disceptatore* i. e. arbitro. Nam *disceptare* et *disceptatio* item significant contendere, contentionem, *disceptator* unam hanc significationem habet indicis, qui perpensis utrimque rationibus de re pronuntiat, est *rei sententiaeque moderator*, ut ait part. orat. 3, 10. Cf. de leg. III, 3, 8. — *tradidistis.* Tribunos dicit, qui cum IV Id. Dec. magistratum inissent, effecerant, ut Cal. Ian. tantus in civitate metus ac sollicitudo versaretur. Cf. orat. II, 3, 8. Quod *seditionibus* scripsimus, necessaria atque elegans Iuntini editoris est coniectura.

periemus. Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus et contionibus et seditionibus tradidistis: spem improbis ostendistis, timorem bonis iniecistis: fidem de foro, dignitatem de republica sustulistis.
24 Hoc metu atque hac perturbatione animorum atque rerum, cum populo Romano vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit, cum ostenderit nihil esse metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium novum, nullum regnum Xvirale, nullam alteram Romam neque aliam sedem imperii nobis consulibus futuram summamque tranquillitatem pacis atque otii, verendum, credo, nobis erit, ne vestra ista praeclara lex agraria magis popularis esse videatur: cum vero scelera consiliorum 25

24. *Hoc motu.*

24. *metu.* Hoc et anctoritas et sententia postulat; *motu*, quod adhuc edebatur, utrimque est improbandum. Nam nec deinceps nec orat. II, 3, 8 ullam rem in rep. motam esse narrat, sed maxima omnia mala metui. — *nullam manum* i. e. hominum inermium multitudinem, quam cum Xviri ad frequentandas colonias contraxerint, interim Romae ad vim faciendam bonosque terrendos adhibebunt. De *altera Roma* cf. orat. II, 32, 86 et Phil. XII, 3, 7 *Capua, quae temporibus his* (cum colonia á C. Caesare deducta esset) *Roma altera est.*

25. *cum vero — fiant.* Corruperunt hunc locum quidam librarii, qui ut planiorem ac faciliorem ad intelligendum efficerent, huic, quam proposnimus, sententiae adiecerunt *ostendero.* Debebant certe *ostenderit.* Apparet enim orationis compositio. *Cum illuxerit,* inquit, tum *cum ostenderit,* denique *cum vero scelera,* quod ultimum membrum suo verbo carere non aegre feremus ac carere oportere inde intelligemus, quod antecedit *summamque tranquillitatem pacis atque otii.* In quo duri aliquid inesse putabat Ernestius, sed, si eos; qui sequuntur accusativos *scelera* et *fraudem* et *insidias* ad idem illud superius *ostenderit* referri vidisset, promptam excusationem invenisset. Nunc propter codicum auctoritatem nulla dubitatio relinquetur laudabimusque Lauredanum, qui ea non cognita tamen dubitare cooperit. Paulo post quod ait *deliberatum et constitutum,* graviter asseverat, cf. in Verr. III, 41, 95 *sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum.* — *honorem*, velut triumphum, qui ex provincia consequi potest; *ornamentum* pertinet ad provinciam exercitu, stipendio, alia pecunia ornandam, *commodum* ad alia munera ac curationes, quae consulibus deferuntur: in quibus omnibus rebus tribunorum plebis potestas cum ad dandum, si ad plebem ferrent; tum ad impedienda ea, quae senatus dedisset, magna erat. Animadvertamus autem Ciceronem dicere se haec non esse *appetiturum* i. e. nulla cupiditate usurum. Nam *petere* quidem provinciam non poterat, quia consulibus iam decretae erant Macedonia et Italia Galliaque, sed adeo Cicero in ea re non erat appetens, ut Macedoniam,

vestrorum fraudemque legis et insidias, quae ipsi populo Romano a popularibus tribunis plebis fiant, pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in contione consistere, praesertim cum mihi deliberatum et constitutum sit, ita gerere consulatum, quo uno modo geri graviter et libere potest, ut neque provinciam neque honorem neque ornamentum aliquod aut commodum neque rem ullam, quae a tribuno plebis impediri possit, appetiturus sim.
26 Dicit frequentissimo senatu consul Cal. Ian. sese, si status hic reipublicae maneat neque aliud negotium extiterit, quod honeste subterfugere non possit, in provinciam non iturum. Sic me in hoc magistratu geram populi Romani, ut possim tribunum plebis reipublicae iratum coërcere, mihi iratum contemnere.

25. fiant, ostendero, pertimescam. — neque ullam rem. — 26. neque aliquod negotium. — geram, patres conscripti, ut.

quae maior ac quaestuosior erat provincia, ultro collegae concederet atque etiam Italiam accipere nollet. Itaque paulo post ait *in provinciam* se *non iturum*, i. e. exercitum et pecuniam in stipendium aliosque usus militares decretam non accepturum; nam iter quidem, ut in provinciam perveniret, non erat suscipiendum. Constat autem eum, quod h. l. promisit, fecisse, ut provinciam exercitu et pecunia ornatam in contione reclamante pop. Romano deponeret (ad Att. II, 1; in Pis. 2, 4).

26. *Cal. Ian.* Hoc ideo addit, ut non modo plurimis testibus, sed etiam sollemni se tempore, cum vota ac preces pro incolumitate reip. suscipiuntur, dicere significet, quo si mentiatur, ipsos deos fallere videatur. Paulo post quod codicum ratio postulat *aliud negotium*, rectissimam habet sententiam. Nam *si status hic reip. maneat* ad domesticam quietem pertinet, ut nulla intestina seditio existat, *aliud negotium* ad bellum aliquod externum. — *populi Romani.* Non credo in ullo codice ms. legi *patres conscripti*, vel si in quo legitur, de coniectura librarii legitur; nam Lauredanus veterem emendationem esse scribit. Nec vero inutilis ille genitivus videri debet; opponit enim suum magistratum, qui totum populum complectatur, tribunis, qui plebis tantum sunt; similemque ob causam orat. II, 16, 41 se ipse *consulem populi Romani* appellat. Quare cum codicum lectio ferri possit, coniecturam speciosam illam quidem, sed coniecturam tamen sequi nolui. — *colligite vos.* Eodem modo Fufium Calenum appellat Phil. X, 3, 6 *Quamobrem collige te placaque animum istum aliquando et mitiga.* Paulo post animadvertimus et *conspirare* et *consentire* de iis, qui in re bona idem sentiant, dici. Atque hoc quidem Cicero etiam de re mala usurpat, illud non item posterioresque demum scriptores conspirandi verbum eo deduxerunt, ut idem fere esset quod coniurare. Quae autem de intestinis malis orator deplorat, eadem prope habet in Cat. II, 5, 11 *Nulla est enim natio, quam pertimescamus, nullus rex, qui bellum populo Romano facere possit: omnia sunt externa unius* (Pompeii) *virtute terra marique pacata: domesticum bellum manet: intus insidiae sunt, intus inclusum periculum est, intus est hostis.* Cf. p. Mur. 37, 78.

Quamobrem, per deos immortales! colligite vos, tribuni ple- IX
bis: deserite illos, a quibus, nisi prospicitis, brevi tempore deseremini: conspirate nobiscum: consentite cum bonis: communem rempublicam communi studio atque amore defendite. Multa sunt occulta reipublicae vulnera, multa nefariorum civium perniciosa consilia, nullum externum periculum est, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est: inclusum malum, intestinum ac domesticum est. Huic pro se quisque nostrum mederi atque hoc omnes sanare velle debemus. Erratis, si senatum probare ea, 27
quae a me dicuntur, putatis, populum autem esse in alia voluntate. Omnes, qui se incolumes volent, sequentur auctoritatem consulis, soluti a cupiditatibus, liberi a deliciis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. Quodsi qui vestrum spe ducitur se posse turbulenta ratione honori velificari suo, primum me consule id sperare desistat, deinde habeat ipsum me sibi documento, quem equestri ortum loco consulem videt, quae vitae via facillime viros bonos ad honorem dignitatemque perducat. Quodsi vos vestrum mihi studium, patres conscripti, ad communem dignitatem defendendam profitemini, perficiam profecto id,

deserite eos. — 27. *liberi a delictis.* — *me ipsum.*

27. *Liberi a deliciis.* Edebatur adhuc *liberi a delictis*, in quo haerebat non iniuria Lambinus. Quae enim est ista laus, consulem populi Romani nihil deliquisse? Si privata delicta i. e. vita probrosa dicatur, ea, dummodo exuatur, nihil pertinet ad remp., ac pauci certe consules fuerunt, in quorum vita non aliquid posset reprehendi. Nec omnino Cicero nunc philosophorum more disputat. Publica autem delicta quae esse possint non intelligo. Commendabat igitur Lambinus, quod nemo recipere ausus est, *liberi a deliciis.* Ecce autem hoc ipsum optimus codex noster, quem iure sequi videmur, praebet. Admodum exigua est diversitas, fateor, nec ea, cui, si sententia obstet, multum tribuatur. Sed dixerat se esse *solutum a cupiditatibus* i. e. nihil concupiscere (cf. § 25), ut nullius sibi gratia opus sit; iam hoc videtur addere, quod orat. II, 37, 100 dicit, de *vigilanti homine.* Qui enim nihil habet, quo praecipue delectetur, sive id est in voluptatibus sive in doctrina sive in aliis studiis, is recte videtur *liber a deliciis* appellari, is toto animo in rempublicam incumbere eamque tueri potest. Veruntamen ut hic codicem nostrum secuti sumus, ita paulo post eidem *quoniam equestri ortum loco* habenti obtemperare noluimus. — *velificari*, i. e. adiuvare cursum, hoc uno loco apud Ciceronem, nec saepe omnino legitur videturque aliquid de vita communi petitum habere. Est aut proprium in hac re *favere.* — *apud maiores nostros.* Non loquitur de republica a L. Sulla constituta (certe enim *apud patres nostros* esse debebat), sed de ea, quae ante Gracchos aliquando fuerat. Quam

quod maxime respublica desiderat, ut huius ordinis auctoritas, quae apud maiores nostros fuit, eadem nunc longo intervallo reipublicae restituta esse videatur.

quod Cicero se restituere posse speravit, quantopere deceptus est! Nam quamvis Catilinam oppressisset et P. Rullum, potentior paulo post extitit Cn. Pompeius, cuius ope et ipse ex patria eiectus et tota respublica paucorum dominationi tradita est.

ORATIO

AD POPULUM HABITA PRIOR.

Est hoc in more positum, Quirites, institutoque maiorum, ut hi, qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt,

1. *ut ii, qui.*

1. *qui imagines familiae suae consecuti sunt*, i. e. qui ad curules magistratus, ad aedilitatem, praeturam, consulatum evecti eos ex maioribus suis, quorum ob eosdem honores gestos ipsi in atrio habent imagines, consecuti sunt. Nam de nobilibus tantum dici quae de maioribus adduntur ostendunt. Sed quem illum maiorum morem fuisse putamus? Certe non eum, ut, qui magistratus facti essent, contionem vocarent eam unam ob causam, ut gratias populo agerent nobilitatemque suam laudarent: qui mos si fuisset ullus, et ab aliis saepius commemoraretur et ab ipso Cicerone observaretur. Hunc autem illud tantum facere videmus, ut initio contionis et populo gratias agat et de genere suo dicat: reliqua tota oratio de lege agraria, quae tum agitabatur, habita est. Neque, qui curules magistratus consecuti erant, omnes contionem habere solebant; nam contionem habet, qui populum suo nomine vocat eique contioni praeest. Iam etsi consules imprimisque eum, apud quem fasces erant, facile videmus quam primum posset contionem habuisse, tamen nec praetores omnes credo nec aediles, eo quidem tempore, quo populi Romani beneficium in animis hominum recens esset ac recte commemoraretur. Quare quod melior pars codicum exhibet *eam primam habeant orationem* ei quod adhuc edebatur *eam primam habeant contionem*, quantopere praestet apparet. *Orationem* enim intelligit, cum quis apud populum verba facit, *primamque* initium orationis, siquidem etiam abl. *qua* utitur, quia non tota oratio, sed prima tantum eius pars in gratiis agendis versatur. Nove autem dictum est *gratiam beneficii vestri;* nam gratias agimus et gratiam referimus pro beneficio, velut ad Att. XVI, 16 E *pro tuo summo beneficio gratias agamus;* p. Q. Rosc. 7, 20 *neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur;* epist. V, 5, 2 *pro his rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam;* Phil. III, 15, 39 *senatui magnae*

eam primam habeant orationem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude coniungant: qua in oratione nonnulli aliquando digni maiorum loco reperiuntur, plerique autem hoc perficiunt, ut tantum maioribus eorum debitum esse videatur, unde etiam quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de

habeant contionem. — Mihi, Quirites, apud vos.

curae esse, ut pro tantis eorum in remp. meritis honores eis habeantur gratiaeque referantur. Sed Latinum tamen existimo genitivum quamvis exemplo carentem minusque bene substantivum cum praepositione videretur coniungi. Nec prorsus dissimile est, quod Livius nonnunquam dicit *gratiam alicuius rei ferre*, vide IV, 12 et XXII, 26 et XXXV, 35. — *debitum esse* praeteritae significationis esse imperfecta, quae consequuntur, indicant. Rarum id est (nam adiectivi locum solet hoc participium obtinere) nec inveni apud Ciceronem, nisi p. Quinct. 11, 39 *quia quod debitum nunquam est, id datum non est.* Sententia quidem non obscura est: pauci omnino nobiles per se ipsi honoribus digni sunt, plurimorum maiores tam bene de rep. meruerunt, ut populus Romanus, quod gratiae illis referre non potuerat, ad hos conferat. — *mihi quidem.* Se ipsum quasi effert, ut causam suam ab plurimis nobilium differre significet, particulaque *quidem* modestiam quandam adiicit. Commemoro, ne cui placeat, quod Baiterus ex Pithoei quodam libro ignoto edidit, *mihi, Quirites*, quod longe est superbius. — *nos illorum sanguinis disciplinisque videtis institutorum.* Quod ex consentienti prope cod. auctoritate editores adhuc scripserunt *nos illorum sanguine creatos disciplinisque institutos videtis*, duplici de causa ferri non potest. Primum enim *sanguine creatum* poëtae potuerunt dicere (atque Ovid. Met. XIII, 31 dixit *sanguine cretum Sisyphio*), Cicero non potuit. Quamquam hunc sanguinis vocem similiter usurpare non negarim; nam post red. in sen. 7, 15 est *cognatio materna Transalpini sanguinis* et *sanguine coniuncti* dicuntur (de invent. II, 53, 161) et *consanguinei*, ferremque, si sanguinis alicuius vel ex sanguine esse diceret, velut Quint. XII, 9, 10 *homines liberi sanguinis*, sed illud quod erat *sanguine creatos*, poëtis relinquendum esse iudico. Magis etiam offensioni est, quod edebatur *disciplinis institutos videtis.* Nam disciplinas si intelligas maiorum, cum ea quam sententiam esse oportet, pugnes. Cicero enim, cum ex se et fratre suo (nam hunc quoque videtur h. l. complecti) maiorum ingenium cognosci posse diceret, ut unam ac communem eorum disciplinam esse significaret, singulari numero uti debebat, non plurali, qui varios eorum mores fuisse indicaret. Sin non maiorum, sed quaslibet disciplinas intelligamus, artes liberales ac studia dicentur, velut p. leg. Man. 10, 28 *pueritiae sunt disciplinae*, quod quam ineptum futurum sit, apparet. Quae cum viderem, magnopere me movit cod. Lag. 9 lectio *illorum sanguine discipulos videtis institutos*, quae etsi haud dubie falsa est, tamen et insignem reliquorum codicum interpolationem indicat et quid verum sit, commonstrat. Nihil enim in illo ipso codice frequentius est corruptione terminationum. Scripsimus igitur *sanguinis* et *institutorum*, inseruimus etiam particulam *que*, qua nec careri posse et librarios facile decipi putaremus.

meis maioribus dicendi facultas non datur, non quo non tales fuerint, quales nos illorum sanguinis disciplinisque videtis institutorum, sed quod laude populari atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso vereor ne arrogantis sit apud vos di- 2
cere, ingrati tacere. Nam et quibus studiis hanc dignitatem consecutus sim memet ipsum commemorare perquam grave est et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur a me certa ratio moderatioque dicendi, ut quid a vobis acceperim commemorem: quare dignus vestro summo honore sim singularique iudicio, ipso modice dicam, si necesse erit,

nos illorum sanguine creatos disciplinisque institutos videtis. — 2. *me ipso autem.* — *honore singularique iudicio sim.*

2. *de me autem ipso.* Vitiosum erat, quod ex cod. Erf. errore quidam scripserunt *de me ipso autem.* Neque enim pron. *ipse* ita alteri pronomini adiungitur, ut non intercedere debeat particula, quam ab initio sententiae collocari non licet. Nam ubi duo prima vocabula necessario cohaerent, tertio loco poni *autem, igitur, enim* rectum est (cf. Madv. ad Cic. de fin. II, 33), alioquin vix probandum correctumque est quod olim de fin. V, 3 edebatur *censemus te autem.* Ipsum etiam illud, quod p. Cael. 2, 4 legitur *equitis Romani autem esse filium,* etsi causa cur ita legatur apparet, poterat non minus recte dici *equitis autem Romani.* — *grave est* mihi ipsi pudorique meo, qui aegre me de me ipso dicere patiatur, eadem significatione similique sententia atque epist. II, 6, 1 *grave est enim homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet*; nam ipsum illud dicere erat facile, i. e. verba in promptu erant. Notabile autem est, quod de honoribus sibi delatis *silere* se non posse ait, cum antea dixerit ingrati esse *tacere.* Nimirum hoc inest, ut premat silentio, ut de industria non dicat; illud nihil est nisi non dicere. — *si necesse erit.* Utro hoc pertinet? Ad ea quae antecedunt an ad ea quae consequuntur? Equidem illuc referre non dubito. Nam *si necesse erit, iidem existimabitis, qui consulem me fecistis* (hoc enim est *iudicavistis*) quid potest esse? Si *necesse erit* suppleas *eosdem existimare*, perverse vituperet Quirites, quasi ii necessitate tantum ad existimandum, i. e. ut cum animis suis cogitent, adducantur; sin suppleas *me modice dicere*, pugnet secum, qui moderatione dicendi commemorata tum de necessitate loquatur. Quare illud *si necesse erit* coniungendum est cum eo quod praecedit *modice dicam.* Primum de causis, cur consul factus sit, nihil omnino, tum si necessitate ad dicendum cogatur, modice dicere optat. Cur autem sic optat? Quia Romanos, qui consulem se crearint, putat etiam a se non admonitos tamen causas, cur crearint, memoria tenere recteque de iis statuere. Nec Ciceronem reperio, cum de consulatu ipso magnificentissime loquatur, causam ullam gratiae suae afferre nisi in extrema oratione 37, 101, ubi *vigilantem* et *diligentem* se appellat.

3 vos eosdem existimaturos putem, qui iudicavistis. Me perlongo intervallo propo memoriae temporumque nostrorum primum ho-

3. *perlongo intervallo.* Proxime enim cum novus homo essot, consulatum adeptus erat C. Caelius Caldus anno 94, tum T. Didius anno 98, tum C. Marius, quos nominat Cicero p. Mur. 8, 17, item de iguobilitate sua dicens. Apparet igitur quam recte addiderit *prope memoriae temporumque nostrorum.* Triginta enim fere anni praeterierant atque ipse Cicero, anno 106 a. Chr. natus, vix quemquam ex illis recte recordari poterat. — *eum locum, quem — rescidistis.* Non carent haec aliqua difficultate. Etenim magis munitiones qnam locus ipse mnnitus, ad quem deletis munitionibus via patet, videatur rescindi, freqnentissimaque ea sine dubio est verbi significatio, nisi quod saepius etiam translata notione de institutis et indicils et similibus rebns, quae abolentur, dicitur. Sed videtur tamen *rescindere* etiam esse i. q. effringere, scindendo quasi aperire, germanice anfreissen. Non utor poëtarum locis, qui incertiorem interpretationem habent, sed Quint. IX, 2, 93 *quidam semper ex diverso aperiendas* (fignras) *putaverunt, sicut latentia vitia rescinduntur* similiter certe posuit. Falsum autem erat, quod editiones codicesque omnes exhibebant *praesidiis firmatum,* in quo ferrem ablativum, si genitivo aut adiectivo adiecto molliretur qnasi translatio: nunc codici 9, qui omittit, facile credidi esse expellendum natumque additamento viri alicnius docti, qui cum nonnunquam propria significatione *praesidiis firmare* videret dici (velut epist. 1, 7, 4 est *Alexandream pace praesidiisque firmare*), idem in huuc locum parum recte inferendum esse putaret. Verum, ut p. Sull. 11, 32 est *firmare imperium* et de off. II, 11, 40 *opes firmare atque augere,* item hic *locum firmatum* feremus. Conferenda autem omnino quae de eadem hac re Cic. p. Mur. 10, 17 habet: *Cum vero ego tanto intervallo claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum posthac, sicut apud maiores nostros fuit, non magis nobilitati quam virtuti pateret, non arbitrabar* cet., quae si compares, qui hic *locus firmatus atque omni ratione obvallatus* appellatnr, eundem illic *claustra* dici videas, qnod hic *rescindere*, idem illic *refringere*, quod hic *virtuti patere voluistis*, id illic *ut aditus — non magis nobilitati quam virtuti pateret:* unde dubitandum nunc esse censeo, an illic parum recte duas illas voces *ad consulatum,* quae in cod. Lag. 9 omittuntur, conservarim atque ad sententiam explendam necessarias osse duxerim. — *quod ipsum est.* Hoc quod cod. 9 praebet, quanto sit elegantius quam qnod reliqui habent *quod est ipsum* facile sentitur. Efferri enim oportet consulis dignitatem atque hoc urgeri consulatum quoquo modo partus sit esse amplissimum. Eidemque codici parui *per se* exhibenti, non *per sese,* quam pronominis formam saepius quam quis putet, ex Cicerone expellendum esse iudico. Nec magis dubitandum erat paulo post, ubi quod reliqui praeter Lag. 9 cod. scribunt *pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt,* insigne additamentum emendatoris cognoscitur. — *de novis hominibus.* Maxime videtur cogitare de C. Mario, qui cum anno 115 a. Chr. praetor fuisset, septem annos iacuit (Cic. de off. III, 20), tum 107 a. Chr. consul factus est anno aetatis undequinquagesimo; nam anno 86 decessit septuaginta annos natus, Plut. Mar. 45. Cuius quanti

minem novum consulem fecistis et eum locum, quem nobilitas firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duco rescidistis virtutique in posterum patere voluistis. Nec me tantummodo consulem, quod ipsum est per se amplissimum, sed ita fecistis, quo modo pauci consules in hac civitate facti sunt, novus ante me nemo. Nam profecto si recordari volueritis de novis II
hominibus, reperietis eos, qui sine repulsa consules facti sunt, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, cum multis post annis petissent, quam praetores fuissent, aliquanto serius, quam per aetatem ac per leges liceret: qui autem anno suo petierunt, sine repulsa non esse factos: me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possumus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit, consul factus sim, cum primum petierim, ut vester honos ad mei temporis diem petitus, non occasione interceptus, nec diuturnis precibus efflagi-

3. *nobilitas praesidiis firmatum. — quod est ipsum per sese amplissimum. — pauci nobiles in hac civitate consules facti. — qui [autem] anno. — petierint. — possimus. — non ad alienae petitionis occasionem interceptus.*

labores militares fuerint, notum est, occasionem autem adipiscendi consulatus habuit ex bello Iugurthino. Item T. Didius, cos. ann. 98, iam anno 113 praeturam gesserat (Comment. epigraph. II p. 171), C. Caelius Caldus quando gesserit, ignoratur; sed hunc quoque sine repulsa cos. factum esse indicare videtur Q. Cic. de petit. cos. 3, 11. Quamquam quod eos novos homines, qui suo anno petissent, repulsam tulisse ait, de aliis etiam eum cogitare videmus. — *petierunt.* Est hoc contra cod. auctoritatem, qui omnes coniunctivum habent. Nec tamen eum ferendum esse censeo. Nam cum novorum hominum duo genera constituantur, unum eorum, qui sine repulsa facti sint, alterum eorum, qui suo anno petierint ac repulsam tulerint, quoniam in illis significandis indicativus ponitur, ut idem modus in his adhibeatur aequalitatis ratio postulat. Neque hercle in tantula re nimis anxie codices observabimus, ex quibus quam ne meliores quidem ubique erroribus careant, eo intelligimus, quod cod. 9 aliique, qui saepe cum eo consentiunt, *aliquanto inferius quam — liceret* exhibent. Fuerit ita in ἀρχετύπῳ, sed recte emendatum esse constat, cf. Cic. epist. XV, 1, 4 *serius quam decuit;* III, 9, 4 *Omnino serius nisi litteras quam vellem.*. Verum indicativum etiam postea omnes cod. Lag. tuentur *de quibus meminisse possumus* atque est is aptior quam coniunctivus. Nam hoc posito magis omnes memoriae suae homines novos aut repulsam tulisse aut serius quam per legem Villiam annalem liceret factos esse significat: coniunctivus ultra memoriam suam fortasse aliquos suo anno factos esse concedit. — *occasione.* Quod adhuc ex omnibus praeter Lag. 9 codicibus edebatur *ad alienae petitionis occasionem*, vix videntur interpretes recte potuisse explicare. Nam primum quid est *intercipere ad occasionem?* Dicitur sane *ad diem* i. e. certa, praestituta die, velut in Verr. II, 2, 5 *quando illa frumentum — non ad diem*

tatus, sed dignitate impetratus esse videatur. Est illud amplissimum, quod paulo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore

dedit?, ad Att. XVI, 16, 4 *ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent*, in Verr. II, 40, 99 *si ego ad diem non affuissem*, saepius, qui usus ex Ictorum consuetudine ductus est: sed quis unquam similiter dixit *ad occasionem?* Deinde quid erit *ad alienae petitionis occasionem?* Certe enim aliorum candidatorum, quamvis minus clari sint (atque id saltem adiici oportebat) petitione nulla adipiscendi occasio datur. Tollit has ineptias cod. Lag. 9 lectio, quam recepimus, insigniqne hic locus erit documento, ne, si quid absurdum in Ciceronis orationibus inveniamus, id dum codicum auctoritatem acriter defendimus, ab oratore potius praestantissimo quam ab librariorum et inscitia et praepostera sedulitate profectum esse arbitremur.

4. *multis posthabitis.* Sex enim competitores habuerat Cicero, ex iisque duos patricios; plures etiam futuros fuisse probabile est, nisi favor populi ac voluntas appareret. Cf. p. Mur. 10, 17 ibique notam nostram. Pertinet igitur hoc eo, quod paulo ante reliquos novos homines dixerat diuturno labore atque aliqua occasione esse factos; ipse in petendo ita omni occasione caruit, ut competitorum adeo multitudine ac dignitate premeretur. Ante nos solebat edi *multis post annis* idque non pauci, sed deterioris sectae codices exhibent. Referebant autem eo, quod ante dixit se perlongo intervallo prope memoriae suae primum hominem novum consulem factum esse. Nec dubium est, quin id commode hoc loco iterum tamquam amplissimum potuerit afferre, sed noluisse hoc indicio est, quod *ex novis hominibus* ait, omnes omnium aetatum novos homines comprehendens, ex quorum omnium numero se primum consulem factum esse multis post annis dicere nullo modo potuit. Quare ferrem, si esset *hoc honore novum hominem primum me — fecistis*, nunc non fero in eoque, quod cod. auctoritas comprobat, permaneo. — *anno meo* i. e. eo, quo primum petere liceret ex lege Villia annali, qua aetatis annum 30 quaesturae, 40 praeturae, 43 consulatui praescriptum fuisse ipsius Ciceronis exemplo intelligimus. — *meis comitiis.* Quid igitur accidisse putamus consularibus Ciceronis comitiis? Num hoc, ut populus in eo faciendo consentiens suffragia omnino non ferret, sed tamquam per acclamationem, quam nos appellare solemus, eum crearet? Non videtur, ne licuisse quidem per leges existimo quemquam illa ratione fieri consulem. Neque ita se factum esse testatur de off. II, 17, ubi *cunctis suffragiis* se omnes honores adeptum esse gloriatur. Necesse igitur est suffragia lata sint. Neque aliter narrat in Pis. 1, 3 *me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit*, ut tabellam non prorsus exclusam, sed cum vox anteisset, subsecutam esse videamus. Introierat igitur ad suffragia ferenda populus cum clamore, Ciceronem nominans eumque se facturum significans: quare h. l. dicitur *prae se tulisse* i. e. palam ostendisse non tabellam, sed vocem. Ferebantur autem tunc suffragia tabella ex lege Gabinia anni 139 a. Chr., de qua dum disputat Cicero de leg. III, 17, 39 tabellam appellat *vindicem libertatis*, quippe quae, ut est p. Planc. 6, 16 *frontes aperiat hominum, mentes tegat detque eam libertatem, ut quod velint faciant, promittant autem quod rogen-*

ex novis hominibus primum me multis posthabitis affecistis, quod prima petitione, quod anno meo, sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitae libertatis, sed vocem unam prae vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. Itaque me non extrema suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit. Hoc ego tam insigne,

4. *multis post annis affecistis.* — *vocem vivam prae vobis.* — *extrema tribus suffragiorum.*

tur. Sed quod miro prope omnium interpretum consensu edebatur *vocem vivam*, ferri non posse video. Non commemoro in omnibus cod. esse *vocem unam*; quantula enim est mutatio ac quam facilis fuit librariorum error. Sed *vivam vocem* ab Cicerone non esse appellatam vetus est ac vera Vavassoris observatio. Graecum erat proverbium ζώσης φωνῆς Graeceque posuit Cicero in epistola ad Att. II, 12, 2; Latine expressit, sed significans proverbium esse Quint. II, 2, 8 *viva illa, ut dicitur, vox alit plenius*, itemque Plin. II, 3, 9; Seneca demum ep. 6 med. et 33 extr. *vivam vocem* sine verborum excusatione dicere non dubitavit. Quare in hunc locum, quod ab Ciceroniano usu abhorreat, de coniectura inferre non debebimus. Ac recte dicitur *vox una*, quae quod *una* est, populi studium in Ciceronem indicat; si diversa esset, voluntatem non minus significaret, sed Ciceronis certe minorem gratiam. — *extrema suffragiorum.* Edebatur olim *extrema tribus suffragiorum* atque ita est in omnibus cod. ms. praeter Lag. 9, in quo pro duabus vocibus *extrema tribus* lacuna est, unde colligemus, cum haec in illo vetere codicum nostrorum parente parum legi possent, reliquos librarios, quod et sententia apta esse et scribi potuisse arbitrarentur, expressisse, hunc codicis 9, cum fidem servare non liceret, lacunam significare maluisse. Num igitur vera est coniectura, qua *extrema tribus* scriptum est? Non videtur. Nam sive tributim sive aliter suffragia ferebantur (nec audeo decernere ac de quaestione totius antiquitatis Romanae et maxima et longe difficillima pronuntiare), certe tribus suffragiorum parum recte dicetur nec novi interpretem, qui hoc explicare potuerit. Hanc igitur tribus vocem coniecturae falsae deberi existimo, sed illud quod est *extrema* verae. Etenim cum consequatur *primi illi vestri concursus*, praecedere oportet quod opponatur. Iam possunt certe *extrema suffragiorum* intelligi, nec tamen negarim addidisse Ciceronem aliud vocabulum; quale equidem invenire nondum potui. Illud video, hunc locum ex numero eorum, unde ratio comitiorum Romanorum disci possit, esse eximendum. *Primos* autem *concursus* accipe de populo Romano ad suffragia ferenda in saepta properante: quam enim celeriter res fieri consuerit, ex Cic. Phil. II, 33 discimus.

5. *ad animi mei fructum* i. e. ad delectationem; gaudent enim homines, si quod diu omni labore petierunt, assequuntur. Necessario autem addidit genitivum *animi mei*, ne quis eum alios fructus vel rei familiaris vel potentiae ex consulatu quaerere existimaret; nam etiam ad haec ipsum fructus voca-

tam singulare vestrum beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum atque laetitiam duco esse permagnum tum ad curam sollicitudinemque multo magis. Versantur enim, Quirites, in animo meo multae et graves cogitationes, quae mihi nullam partem neque nocturnae neque diurnae quietis impertiunt: primum tuendi consulatus, quae cum omnibus est difficilis et magna ratio: tum vero mihi praeter ceteros, cum errato nulla venia, recte facto exigua laus ab invitis expressa proponatur: non dubitanti fidele consilium, non laboranti certum subsidium nobilitatis osten-
III, 6 ditur. Quodsi solus in discrimen aliquod adducerer, ferrem,

5. multo maius. — neque diurnae neque nocturnae. — ceteros, cuius errator — laus et ab invitis. — proponitur.

bulum pertinet. Paulo post conservavi quod in omnibus cod. Lag. est *multo magis*, quod cum seiunctum sit ab eo quod est *permagnum* ac cum magna vi in extrema sententia positum, non minus ferendum esse duco quam quod alii codices, quos minoris facio, exhibent *multo maius*. Quae ratio ne cui improbanda esse videatur, infra omnes cod. Lag. scribi iubent *cum errato*, meliores etiam coniunctivum *proponatur* ac certe recta ea est oratio; nam et *erratum* vulgare factum est substantivum et *recte factum* melius pro substantivo dicitur quam *rectum factum*; si quidem adiectivum huic participio addi videtur plerumque in praedicato. Sed quoniam sequitur in insequenti sententia indicativus *ostenditur*, qui eam cum hac coniungerent, scripserunt indicativum *proponitur*, cum etiam pro coniunctione relativi vel dativus, qui ad dativum *dubitanti* conveniret, vel genitivus, quem Germanici cod. habent, inducendus fuit. Sic cum fidem codicum Lag. atque imprimis 9 expertus essem, eundem secutus sum *neque nocturnae neque diurnae* scribens. Nullam enim certam in his adiectivis consuetudo sanxit collocationem. Nam cum *labores diurni nocturnique* sint Cat. mai. 23, 82, non minus saepe *noctes et dies* quam *dies et noctes* dicuntur. Vide Madvig. ad Cic. de fin. I, 16, 51. Quamquam quod cod. Lag. 9 exhibet *diurnae cogitationis*, peccavit inepte idem quod modo fuerat vocabulum repetens. Sed rursus nervosius videtur esse, quod idem 9 omissa particula *et*, quam reliqui inserunt, exhibet *exigua laus, ab invitis expressa*, ut, si quid nobiles in novo homine laudare cogantur, id modice laudari significetur.

6. *certi homines.* Simile est, sed non idem *quidam homines*. Neque enim tantum nonnullos dicit, quibus displiceat consulatus suus, quos si vellet, posset nominare, sed genus hominum esse ait, quod quin sibi adversaturum sit, dubitari non possit, nimirum nobilium, qui sibi posthabiti sint. Neque aliter omnino Cicero utitur adiectivo *certus*, ut infra § 15 et 25 et 63 et 70, Brut. 16, 64 *habet enim certos sui studiosos*; epist. I, 9, 10 *certorum hominum*; p. Sest. 17, 58 Cn. Pompeius Tigranem *certis rebus imperatis regnare iussit*, in quo quam diversum sit futurum *quibusdam rebus* apparet. Inde natum, quod posteriores scriptores atque imprimis Quintilianus *certus*

Quirites, animo aequiore, sed mihi videntur certi homines, si qua in re me non modo consilio, verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me autetuleritis nobilitati, vituperaturi. Mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur. Accedit etiam ille mihi summus labor ac difficillima ratio consulatus gerendi, quod non eadem qua superioribus consulibus condicione utendum esse decrevi, qui aditum huius loci conspectumque vestrum partim magnopere fugerunt, partim vehementer non secuti sunt. Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est dictu facillimum, sed in ipso senatu, in quo esse locus huic

6. eadem mihi qua. — consulibus lege et condicione. — magno opere. — partim non vehementer secuti. — dictu [id] facillimum.

aliquis et *certus quidam* coniungere coeperunt. *Nobilitatem* autem, cui antelatus erat Cicero, intellige nobiles eius competitores, quibus posthabitis consul factus est (cf. § 4). Fuerant autem praeter duos omnes nobiles, vide p. Mur. 8, 17. — *Accedit.* Sequitur altera cogitatio, quae Ciceroni ullam quietis partem impertiat, nimirum ratio, qua ipsum consulatum gerere constituit, respondetque hoc *accedit* ei quod § 5 est *primum tuendi consulatus.* — *eadem qua superioribus consulibus condicione utendum esse decrevi.* Notabile est, quod per attractionem quandam, quae appellatur, dativus *superioribus consulibus* positus est sine repetitione verbi, quae res tam rara est, ut Turnebus, vetus interpres, ablativum intellexerit, ut esse vellet idem quod *superiorum consulum tempore, superioribus annis.* Quasi vero Ciceronem suam ipsum inconstantiam arguere deceat ac fateri, olim se non fuisse popularem. Supplendum igitur est *utendum fuit*; significat enim, superiores consules quod nobiles essent, ipsa nobilitate sua coactos quasi esse, ut a populi causa abhorrerent: se quidem tamquam consilio apud animum suum habito eo esse deductum, ut necessario sibi populari ratione utendum esse intelligeret. Neque omnino verum est, quod praecipitur, cum relativis et particula *quam* post comparativos (particulae enim et natura et hoc certe in genere usus ab relativo non discrepat) attractionem illam non admitti nisi in accusativo, velut in ablativo reperitur apud Cic. ad Att. VIII, 9, 2 *pro tuis rebus amplissimis: amplioribusne quam suis, quam Africani?* Sed ut attractio facilius existeret, recentissimi editores quod in uno parum bono cod. est, scripserunt *non eadem mihi qua superioribus consulibus.* Nos quidem dativum non minus omisimus quam paulo post cum plerique codices exhibeant *lege et condicione*, codicis Lag. 9 brevitatem secuti sumus. — *vehementer non secuti sunt.* Rursus haec unus habet cod. Lag. 9, sed recte quodque in reliquis est *non vehementer secuti sunt*, minus probamus. Ita enim duo genera superiorum consulum Cicero constitueret, unum eorum, qui contionem populi magnopere fugissent, alterum eorum, qui non vehementer secuti essent, id quod vetus interpres Turnebus explicat, qui raro in contionem populi venissent. Sed cum postea

voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem prima
7 illa mea oratione Cal. Ianuariis dixi. Neque enim ullo modo facere possum, ut cum me intelligam non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi Romani iudicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe praeponerer, non et in hoc magistratu et in omni vita sim popularis. Sed mihi ad huiusce vim et interpretationem vehe-

Kalendis Ianuariis. — 7. *ullo modo possum, cum.* — *vita esse popularis.* — *huiusce verbi vim.*

dicat ipsnm se popularem fnturum osse consulem, eum non sic definit, nt esse putet, qni saepe contionem populi convocet, popularemque rationem in consulenda contione ponat, sed eum oxistimat popularem, qui populi commoda curet. Atque id ipsum est *aditum conspectumque* popnli *sequi* i. e. respicere, facere, qnae in aditu conspectuque popull defendere possis; neque hic *sequendi* usus est insolentior quam cnm de leg. II, 1, 3 ait *hanc amoenitatem salubritatemque sequi,* aut de off. I, 11, 35 *opportunitatem loci sequi.* Quare haec duo superiorum consulum genera facit, eorum, qui contionem popnli vitarint, et eorum, qui qnamvis consulerent, utilitatem tamen oius neglexerint. Panlo post non sine causa dicit *hoc in loco,* ut rostra significet; si praepositionem omisisset, contionem populi, i. e. non locnm, sed occasionem dixisset.

7. *sim popularis.* Falsum quin esset, quod omnes cod. habent *essem popularis,* non erat dubium. Sustulit vitium manifestum Baiterus recipiens *neque enim ullo modo possum, cum — vita esse popularis,* quod margini edit. Aldinae ann. 1554 a Torrontio Levino ascriptum invenerat. Neque id bonum esse nego atque ipse Cicero infra § 9 similiter dicit, sed verum num sit, magnopere dubito. Nam viri docti emendationem, non codicis lectionem a Torrentio enotatam esse ex Lagomarsinianorum librorum collatione video, ox quibus n. 84 nnus omnium ita habere dicitur, quem typis impressum, non manu scriptum fuisse constat. Quare longe veriorem esse putavimus Lauredani emendationem pro imperfecto fortiter praesens ponentis, qnod cum *praeponerer* antecederet, quam facile mntari potuerit apparet. *Studium* intellige hominum potentium ln Ciceronem, at *gratias* principum apnd populnm, quae cnm aliae sint aliorum, plurali nnmero dicuntur. Cf. ad p. Mur. 13, 28. Populo quidem ipsi *iudicium* i. e. constantem ac factis comprobatam existimationem tribuit. — *huiusce* i. e. popularis. Substantivi enim vicem obtinet *popularis; vis* antem *et interpretatio* tamquam ἓν διὰ δυοῖν est, nec *vis popularis* minus recte dicetur quam *vis amicitiae* Lael. 4, 14 et *vis magistratus* de leg. III, 1, 2 et multa alia. Itaque inntilem esse censuimus Nic. Angelii coniecturam, qui *huiusce verbi* scripsit, vel potius falsam. Neque enim verbi vim interpretans deduci id ait a populo quaeque in adiectivo potestas sit addit, sed hominem popularem ipsnm qualis sit describit. Itemque paulo infra servavimus codicum lectionem *versatur enim magnus error;* nam quod Lambinus coniecit *versatur enim in eo magnus error* i. e. non in eo verbo, sed in eo popnlare, facile cogitatione supplemus nec movemur, quod simile exemplum, quo locus iu qno qnid versetur omissus sit, nunc noscimus.

menter opus est vestra sapientia. Versatur enim magnus error
propter insidiosas nonnullorum simulationes, qui cum populi non
solum commoda, verum etiam salutem oppugnant et impediunt,
oratione assequi volunt, ut populares esse videantur. Ego qualem 8
Calendis Ian. acceperim rempublicam, Quirites, intelligo: plenam
sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil ad-
versi quod non boni metuerent, improbi expectarent. Omnia
turbulenta consilia contra hunc reipublicae statum et contra
vestrum otium partim iniri, partim nobis consulibus designatis
inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu ali-
quo novae calamitatis, sed suspicione: ac perturbatione iudicio-
rum, infirmatione rerum iudicatarum novae dominationes, extraor-
dinaria non imperia, sed regna quaeri putabantur. Quae cum 9, IV

8. *Kalendis Ianuariis.* — *otium vestrum.* — *suspicione ac metu: perturbatione.*

8. *in qua* coniungo cum verbis metuendi et expectandi. Nihil mali cogitari poterat, quod non in republica futurum esse putarent. Quare deinde dicit *omnia turbulenta consilia* i. o. omnis generis. Imminebant enim reipublicae, qualem L. Sulla instituerat, postea alii restituta tribunicia potestate mutataque iudiciorum ratione confirmarant (hunc enim reip. *statum* dici censeo statumque appellari non quamvis condicionem, sed eam quae firma sit et quasi stet notum est) imminebant igitur tunc multi simul, primum L. Catilina, qui consulatus adipiscendi causa omnia miscebat, tum C. Caesar, qui effecerat, ut Sullani percussores, qui praemia ob capita proscriptorum relata acceperant, damnarentur (Dio Cass. XXXVII, 10; Ascon. p. 91). Huc enim *perturbatio iudiciorum* et *infirmatio rerum iudicatarum*, quae deinde commemorantur, pertinent; etiam opinio quorundam extitit, futuram esse *restitutionem damnatorum* legibus Corneliis, cuius § 10 mentio fit; nam vere neminem esse restitutum constat. Huc accesserunt denique P. Servilii collegarumque eius conatus, qui reliquas perturbationes adinvenerunt, ut *imperia* ac *regna* sibi quaererent; hoc enim Cicero consilium eos habere infra § 15 significat. His rebus acciderat, ut *fides de foro* tolleretur i. e. ut fides esset angusta nec facile argentarii pecuniam crederent. Nos nunc bursam nostro tempore dicamus esse perterritam; at Romae cum argentarii in foro tabernas haberent atque omnium hominum commercium per argentarios fieret, forum nominabatur. Iam forum quantopere subito instituto regno concutiatur apparet, sed commovetur etiam *suspicione*, cum ingruere aliquam calamitatem existimat. Quare improbamus Gebbardtii observat. crit. in Cic. orat. de lege agraria II p. 3 coniecturam, qui scribi iubet *suspicione ac metu*, quasi quod saepe a Cicerone cumuletur, hoc quoque loco coniungi necesse sit. At uno se substantivo usum esse indicat paulo post, ubi huc respiciens ait: *quae cum ego non solum suspicarer*, acutiorem se ipso foro fuisse significans. Nec si recte verba distinguantur, quicquam deesse videbitur.

ego non solum suspicarer, sed plane cernerem (neque enim obscure gerebantur), dixi in senatu in hoc magistratu me popularem consulem futurum. Quid enim est tam populare quam pax? in qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi laetari videntur. Quid tam populare quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare quam otium? quod ita iucundum est, ut et vos et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, praesertim in imperio ac dignitate: quin idcirco etiam maioribus nostris praecipuam laudem gratiamque debemus, quod eorum labore est factum, ut impune in otio esse possimus. Quare qui possum non esse popularis, cum videam haec omnia,

9. Quid est enim. — pax? qua non modo ei. — et vos et maiores vestri et fortissimus. — uti impune. — possemus.

9. *cernerem* plus est quam *viderem.* Illud significat adeo omnia fuisse aperta, ut ea oculis ipsis animadverteret, animo ac cogitatione non opus esset. — *in qua* non dubitavi scribere pro ablativo, qui adhuc edebatur, quia illud magis scriptori, hoc fere poetae convenit. Nam in pace laetari tecta atque agros facillime dicat Cicero, quod *laetae segetes, laeti fructus* similiaque in vulgari usu sunt, at ablativum addere, nisi qui iis poetarum more sensum tribuit, non potest. — *et vos.* Turpe expulimus librariorum additamentum auctoritate cod. Lag. 9. Edebatur enim adhuc *ut et vos et maiores vestri et fortissimus quisque vir — putet,* quasi quod esse oportet *et vos putetis et maiores vestri putarint* diversis temporibus, in unum tempus praesens contrahi liceret. Ac *maiores vestros* ex iis qui paulo post sunt *maioribus nostris* effectos esse intelligo. — *in imperio ac dignitate.* Etenim hoc Cicero in republica maxime sequendum esse dicebat *otium cum dignitate,* velut de orat. I init.: *beati fuisse — illi videri solent, qui — cum vitae cursum tenuerunt, ut vel in negotio sine periculo vel in otio cum dignitate esse possent;* p. Sest. 45, 98 *quod est praestantissimum maximeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis, cum dignitate otium;* epist. I, 9, 21 *omnibus nobis in administranda republica propositum esse debet id, quod a me saepissime dictum est, cum dignitate otium.* — *quin.* Cod. omnes habent *qui,* sed quo relativum pertinere possit nescio, praesertim cum prima persona coniunctum; nam *qui — debetis* ferendum fortasse videretur esse. Quare probavimus quod Madvigius apud Ussing. (orat. tres de leg. agr. recensuit I. L. Ussing, Hauniae 1850) coniecit *quin.* Sed item scribendum erat *possimus;* nam non generalis est sententia, sed hoc vult, ut nunc sit otium, effectum esse maiorum laboribus. *Impune* autem est, ut non lacessantur ab hostibus, quamvis otii sint cupidi. — *libertatemque.* Veram esse existimo particulam *que,* quae in cod. 9 adiicitur; nam pax externa cum libertate cohaeret. Cf. Phil. VI, 7, 19 *Populum Romanum servire fas non est. — Aliae nationes servitutem pati possunt, populi Romani est propria libertas.*

Quirites, pacem externam libertatemque propriam generis ac nominis vestri, otium domesticum, denique omnia, quae vobis cara atque ampla sunt, in fidem et quodammodo in patrocinium mei consulatus esse collata? Neque enim, Quirites, illud vobis iucundum aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quae verbis ostentari potest, re vera fieri nisi exhausto aerario nullo pacto potest. Neque vero illa popularia sunt existimanda, iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, restitutio damnatorum, qui civitatum afflictarum perditis iam rebus extremi exitiorum solent esse exitus. Neque si qui agros populo Romano pollicentur, si aliud quidem obscuro moliuntur, aliud spe ac specie

libertatem propriam. — 10. *nec si qui.* — *pollicentur, sed aliud quiddam.*

10. *largitio aliqua promulgata.* Cogitat non solum de agraria largitione, qualem P. Servilins temptabat, verum etiam de frumentaria, quae saepe olim a tribnnis plebis suscepta erat, qua dum frumentum plebi vel parvo vel nullo pretio dividitur, aerarium exhanstum erat. — *restitutio damnatorum.* Cur singulari hic ntitur, cnm antea posuerit pluralem *perturbationes* et *infirmationes?* Nimirum quia saepius iudicia pertnrbabantur, saepins res iudicatae infirmabantur, damnati autem non singillatim restituuntnr, sed complures simul; lego enim ad eam rem opns erat, quae non de uno homine, sed de generibns hominum ferri solet. Cogitatum autem tunc esse a tribunis plebis de filiis eorum, qui a Snlla proscripti erant, ad honores cnrules admittendis, de P. Paeto et P. Sulla, qui anno 66 ambitns damnati erant, restituendis, etiam de novis tabulis narrat Dio XXXVII, 25. Cf. de restitutione damnatornm p. Sull. 22. — *extremi exitiorum — exitus.* Verum hoc videtur esse nec ulla in libris ms. est discrepantia. Quod in Verr. V, 6, 12 ait *Perditae civitates desperatis iam omnibus rebus hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res iudicatae rescindantur,* idem hoc loco dicit, pro adiectivo genitivnm ponens. — *si aliud quidem.* Omnes cod. quod habent *sed si* ferri non posse apparet natumque videtnr esse ex una nota dupliciter explicata: qnamquam fuit certe hic error iam in vetere illo codice, ex quo nostri libri ms. manarunt. Sed utrum verius est *sed* an *si?* Hoc sine dubio; nam ex iis quae snbsequuntur, non omnes, qui agros pop. Romano polliceantur legesqne agrarias ferant, Ciceroni improbari videmns, snbiiciendaqne priori altera condicio, qua quod genns sibi improbetur significet: quam alterins condicionis subinnctionem sine particula Latine fieri constat, Cf. Madvig. ad Cic. de fin. II, 34, 112. Deinde *quidem* exhibent omnes cod.; nam eodem dncit *quid est*, quod in melioribus est, ex nota male explicata ortnm. Coniungendnm antem *quidem* cum condicionali particula; nam quod vulgo est *si quidem* i. e. si modo, wenn nämlich, videtur etiam vocabnlo interiecto posse separari. Quod Naugerius in ed. Aldina emendavit *aliud quiddam*, et ab cod. anctoritate recedit nec *aliud* — *aliud* adiecto pronomine iufinite dici arbitror. — *specie simulationis.* Noli hoc supervaca-

V simulationis ostentant, populares existimandi sunt. Nam vere dicam, Quirites, genus ipsum legis agrariae vituperare non possum. Venit enim mihi in mentem, duos clarissimos, ingeniosissimos, amicissimos plebi Romanae viros, Ti. et C. Gracchos, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul, qui, ut plerique, nefas esse arbitrer Gracchos laudare: quorum consiliis, sapientia multas esse video reipublicae partes constitutas.

11 Itaque, ut initio mihi designato consuli nuntiabatur legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiebam quid cogitarent cognoscere. Etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis

ingeniosissimos, amantissimos plebi. — sapientia, legibus multas.

neum existimare; nam prorsus hoc prohibere volebat, ne quis Servilium ipsum quicquam de agrorum divisione sperare existimaret, similiterque dicit de nat. deor. I, 2, 3 *In specie autem fictae simulationis sicut reliquae virtutes, ita pictas inesse non potest.* Nec vero *spe ac* deleri debet, id quod Bakio placuisse video, qui et cum auctoritate codicum pugnat et, quod necessarium est, tollit; nam cum in superiore condicione sit polliceudi verbum, idem in huius subiunctae condicionis altera parte repeti necesse est. — *genus ipsum legis* i. e. non omnem legem agrariam reprehendit, velut statim unius ci in montem venit et iustae et utilis, Semproniae, sed hanc Serviliam. Sic hoc quidem loco indicat coram plebe, quae Gracchorum memoriam carissimam habebat, at de off. II, 12 graviter vituperat. *Genus* autem sic dictum est, ut de off. II, 13 *Mihi autem haec oratio suscepta non de te est, sed de genere toto* (adolescentium qualis tu es); ibid. c. 17 *tota ratio talium largitionum genere vitiosa est;* p. Flacc. 10, 23 *querendum est de communi genere testium.* — *amicissimos plebi.* Ceteri omnes cod. exhibent *amantissimos*, quod genitivo iunctum recte hoc loco posse dici quis negat? Sed non scripsisse ita Ciceronem eo fit manifestum, quod rursus omnes cod. praebent *plebi*, quae genitivi forma cum apud Livium reperiatur, apud Ciceronem non invenitur. Quare rectius cod. 9 videtur scribere *amicissimos plebi;* neque enim *amicus* est tantum qui amatur, verum etiam qui amat, velut, ut unum ex plurimis exemplis afferam, rex Deiotarus Phil. II, 27, 94 *populi Romani amicissimus* vocatur, cf. Phil. XI, 13, 34. — *consiliis, sapientia.* Est ἀσύνδετον, cum quasi corrigendi causa prius vocabulum, quod generaliorem sententiam habet, addito altero explicatur, ut div. in Q. Caec. 4, 11 *adsunt, queruntur Siculi*, epist. III, 8, 2 *vultu, taciturnitate.* Quod olim tertio loco addebatur *legibus*, quod ab uno cod. 9 abest, parum placet. Quoniam enim quicquid a Gracchis in rep. mutatum est, legibus est constitutum, eae tamquam diversae a consiliis et sapientia separatim poni non debebant. Ut autem hoc loco codicum auctoritatem secutus sum, ita paulo supra *arbitrer* coniectura Iuntini editoris natum est, sed necessaria; nam nec indicativus *arbitror* nec imperfectum *arbitrarer* (atque haec sunt in codicibus) ullo pacto ferri potest.

essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos reipublicae bene
administrandae societatem. Cum familiariter me in eorum sermonem 12
insinuarem ac darem, celabar, excludebar, et cum ostenderem, si
lex utilis plebi Romanae videretur, auctorem me atque adiutorem
futurum, tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam: negabant me adduci posse, ut ullam largitionem probarem. Finem feci offerendi mei, ne forte mea sedulitas aut insidiosa aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos coetus occultos noctem adiungere et solitudinem. Quibus nos rebus quanto in metu fuerimus ex vestra sollicitudine, in qua illis temporibus fuistis,

12. *Romanae mihi videretur.* — *Quibus rebus.*

11. *Itaque.* Orditur a narratione rei gestae, querens obscure legem esse compositam ac se exclusum, quo iam movere incipit suspicionem, ut homines tribunos plebis de suis, non de reipublicae commodis cogitasse existiment. — *magistratus.* Plurali utitur, quia diversi sunt consulatus et tribunatus; alioquin singularem ponere potuit. Quamquam infra § 13 etiam tribunos solos ait *magistratus* inisse.

12. *insinuarem ac darem.* Utrumque verbum saepe sic dicitur, ut p. Caec. 5, 13 *qui se in eius familiaritatem insinuasset,* in Verr. II, 70, 169 *qui — bene penitus in istius familiaritatem se dedit,* in Pis. 28, 68 *dedit se in consuetudinem* (adolescentis) *sic ut prorsus una viveret nec fere unquam ab eo discederet,* ep. XIII, 1, 4 *des te ad lenitatem;* ad Att. XIII, 23, 2 *da te in sermonem;* neque enim hoc ibi poetae, sed Ciceronis videtur esse. Nihil igitur est hoc loco, quod displicere emendarique debeat. Nam quod non pervenit penitus in sermonem, ipsum studium conatusque imperfecto significatur. — *videretur.* Verior haec cod. 9 lectio est quam reliquorum cod. *mihi videretur.* Neque enim tam hoc efferendum erat, si sibi videretur lex utilis, quam hoc, si amicis suis ceterisque qui cognoscerent. Paulo post quod *illam largitionem* deteriores cod. habent, parum est probandum. Nam Servilii certe largitionem i. e. legem agrariam Cicero non probabat; debebat autem afferri, quod ab eo illi tribuni cum putarent improbari, tamen non improbaretur: inde illorum cupiditas ac stulta arrogantia perspicitur. In eo autem errabant, quod *ullam largitionem* ei displicere negabant; placere enim sibi cum alias tum Sempronias agrorum divisiones dixit. *Liberalitatem* intellige eam, quae in offerenda consulari auctoritate atque auxilio sita erat. — *privatos quosdam adhibere.* Hoc ea de causa addit, ut tribunos quodammodo in leges peccasse ostendat. Nam magistratus etiam cum coetus nocturnos ac clandestinos habent, non violant leges. At privatis ea habentibus nascuntur sodalicia, quae paucis annis ante prohibita erant Cf. Ascon. in Pisonianam p. 7. — *Quibus nos rebus.* Coniectura haec nostra est; nam codices prope omnes habent *quibus in rebus,* quod cum ferri non possit, eiicere praepositionem facile est, sed vix verum. Desiderat etiam sententia pronomen, quod non reperitur.

13 facile assequi coniectura poteritis. Ineunt tandem magistratus tribuni plebis: contio tandem expectata P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis et truculentius se gerebat quam ceteri. Iam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante barbaque maiore, ut oculis et aspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam et minitari reipublicae videretur. Legem hominis contionemque expectabam. Lex initio nulla proponitur: contionem imprimis advocari iubet: summa cum expectatione concurritur. Explicat orationem sane longam et verbis valde bonis: unum erat quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex

13. *contio expectatur P. Rulli.*

Nam cum *vestram* dicat sollicitudinem, item in altera parte addi par est pronomen, ut eos, qui in metu fuerint, i. e. se ipsum et amicos et collegas, a populo diversos fuisse indicet. Quare pronomen *nos* loco praepositionis scripsimus, quae ex nota male lecta extitit.

13. *Ineunt tandem* i. e. a. d. IV Id. Dec., qui vetus ac sollemnis dies erat. Sed ubi inierunt tribuni plebis, cito contionem habuerunt cum reliqui, tum P. Rullus. Quare falsum certe est, quod Lambinus alterum *tandem* omisit, et quod Guilelmius scribi iussit *expectatur*, quasi post initum magistratum contio non statim vocata, sed expectanda fuerit. Immo haec ita dicenda erant, ut utrumque eodem prope tempore factum esse videretur. Quare tu in altera sententiae parte supple *fit, habetur.* — *princeps.* Unus enim solet quasi auctor esse legis, a quo appellatur (cf. infra § 22), sed alii adiuvant: qui quot et quo nomine in hac lege Servilia fuerint, ignoratur. Noti autem sunt omnino hoc anno praeter ipsum Rullum quattuor tantum tribuni plebis, T. Attius Labienus (Dio XXXVII, 37) L. Caecilius (Cic. p. Sull. 22), L. Calpurnius Bestia (Sall. Cat. 43), T. Ampius Balbus (Vell. II, 40; Cic. ep. III, 70). — *truculentius.* Ad terrorem faciendum pertinet *truculentus* et plus est quam *trux*, cuius praeterea nec gradus apud scriptores reperiuntur nec adverbium. Trux appellatur qui semel est, truculentus qui solet esse. — *vestitu obsoletiore*, nimirum ut homo de plebe esse eiusque causam amplecti videretur. Quare corpore erat parum *culto* nec *nitido* capillumque et barbam promittebat. Tondebant enim tunc homines elegantiores et capillum et barbam, nisi qui nimiae elegantiae studiosi barbulam tamen, sed bene cultam, alebant, quos in Catil. II, 10, 22 *bene barbatos* appellat; cf. p. Cael. 14. At pauperes, quibus parum corporis curam habere liceret, ut vestem, ita capillum barbamque negligebant. — *explicat* cet. Irridendi causa dicit eoque et *explicandi* verbum pertinet, quod sine causa ita non dicitur, et *verbis valde bonis.* Nam bona verba solent esse, quae placent paceinque maxime deorum afferunt; sed hoc loco cum simulatione dicitur, ut *bone custos* in Verr. II, 5, 6, augetque eius vim *valde*, quod cum singulare aliquod ἦθος contineat, saepe apud Ciceronem usurpatur Pergit autem in simulatione dicens *unum erat* i. e. unum tantum,

frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit an hoc genere eloquentiae delectetur nescio. Tamen, si qui acutiores in contione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse cum dicere suspicabantur. Aliquando, tamen me designato, lex in publicum proponitur. Concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii:
descriptam legem ad me afferunt. Omni hoc vobis ratione con- 14, VI
firmare possum, Quirites, hoc animo me ad legendam legem cognoscendamque venisse, ut, si eam vobis accommodatam atque utilem esse intelligerem, auctor eius atque adiutor essem. Non enim natura neque studio neque odio penitus insito bellum nescio

tametsi qui acutiores. — aliquando tandem me. — descriptam ad me legem. — 14. hoc ratione vobis. — neque discidio neque.

quasi leve quiddam hoc fuerit nec prima virtus orationis sit, ut quid dicatur, intelligas. — *tamen.* Citat hunc locum Quint. VIII, 4, 28 *Pauci tamen, qui proximi astiterunt, nescio quid illum de lege agraria voluisse dicere suspicabantur*, sed memoriter, ut eius verba cum Tullianis congruere non opus sit. Nec profecto paulo rectius ac gravius est, quod codices exhibent *qui acutiores — steterant*, quam quod Quintilianus *qui proximi astiterant.* Hoc ad fortuitam vocis magnitudinem, illud ad ipsam orationis virtutem pertinet. Quod autem ait *tamen*, corrigit se quasi ipse ac revocat, quod neminem quicquam intellexisse dixerat. — *aliquando tamen.* Teneo hoc quod meliores cod. habent. Nam expectatam a se esse legem dixit, nec eiusdem particulae intra breve spatium repetitio displicet. Quamquam etiam quod deteriores cod. habent *aliquando tandem* (cf. p. Quinct. 30, 94) ferri posset, nisi accederet *me designato.* Quod ut recte intelligas, coniungo cum particula *tamen*, i. e. aliquando; sed tamen cum etiamtunc essem designatus, cum nondum consulatum inissem. Nam comitia consularia multo ante habita esse § 11 ostendit. Aliter igitur hoc *tamen* intelligendum ac p. Quint. 13, 43 *sero, verum aliquando tamen.* Notabile autem est, quod paulo post legitur *in publicum proponitur;* nam solet Cicero dicere *in publico proponere*, velut ad Att. VIII, 9, 2, sed similium verborum ratio facit, ut de accusativo non dubitemus, praesertim cum de industria videatur quaesisse, ut foras pervenisse legem significaret.

14. *Omni hoc vobis ratione confirmare possum.* Diversum hinc est, quod ad Att. XIII, 23, 3 habet *omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offensioni esse quam delectationi possessiunculas meas.* Ibi enim commemorat, quod causis doceri argumentisque demonstrari non potest; itaque ait *affirmare* et *asseveratione.* At hic dicit argumenta se posse afferre, quibus probet se optimo animo ad cognoscendam legem Serviliam accessisse ideoque *ratione* ait et *confirmare.* Lambini causa commemoro, qui parum recta coniectura usus hic quoque *omni asseveratione affirmare* scribi iussit, qui idem paulo post, quia bellum aliquod consulatus et tribunatus statui

quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni et fortes consules obstiterunt, et quia vis tribunicia nonnunquam libidini restitit consulari: non potestatum dissimilitudo, sed animorum disiunctio dissensionem facit. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus, ut eam cuperem esse aptam vestris commodis et eiusmodi, quam consul re, non oratione popularis et honeste et libenter posset defendere. Atque ego a primo capito legis usque ad extremum

15. *Atqui ego.*

putabat, emeudabat *sed quia persaepe.* — *neque studio neque odio penitus insito.* Praeclarus est locus ad intelligeudam cod. Lag. 9 virtutem, qua quae nuuquam ante cuiusquam interpretis offensionem moverant, ita restituuntur, nt uulla dubitatio relinquatur. Olim euim ex omuibus cod. sic edebatur: *Non enim natura neque discidio neque odio penitus insito*, iu quibus cogebantur tamquam quoddam ἓν διὰ δυοῖν statuere, ut naturale discidinm efficerent; nec tamen ipsnm discidii vocabulum satis explicare poterant, quod pro origine sua nisi in earum rerum, quae aliquando coniunctae fuerunt, dissociatione usurpari non potest. Quare apud eos, qui non sonum modo, verum ipsam sententiam curarent, dubitatio quaedam existere debuit, quam sustulit cod. 9, qui *studio* exhibet. Nunc inter se respondent duae hae sententiae *non enim natura bellum habet consulatus cum tribunatu* et *non potestatum dissimilitudo dissensionem facit.* Illud autem naturale bellum, quod esse fortasse quispiam existimet, dnpliciter dividitur; otenim aut *studio penitus insito* existit aut *odio penitus insito.* Nam si a natura atque ab ipsa origine hoc esse oporteret studium consulatus, ut plebem opprimeret, tribunatus autem, ut plebem efferret, bellum perpetuum nasceretur; itemque si odium eiusmodi esset, ut consulatus per tribunatum, tribuuatus per consulatum non omnia posse videretur. Sed negat hoc Cicero, et consulibus et tribunis salutem publicam ait esse propositam, itaque si qua esset disiunctio, qnam persaepe fuisse concedit, eam ab hominibus, qui et consulatnm et tribunatum gererent, profectam esse. — *obstiterunt* — *restitit.* Duobns verbis opus fuit. Nam qnod interest, parum ad rem pertinet. Resistere quidem plus est quam obsistere; *obsistit* etiam nihil agens, *resistit,* qui contra agit.

15. *Atque.* Pergit iu ratiociuatioue suscepta, quid ex lege Servilia in mauus sumpta consecutum sit narrans, non addit, quod oppositum sit iustamque hominnm spem decipiat. Quare rectius est *atque* quam quod Lauredanus scripsit *atqui.* Codicum quidem auctoritas in hac re non multum valet, sed quicquid valet, pro ea, quam recepimus, lectioue pugnat. Panlo post quod propter codicum rationem eiecimus *nihil aliud cogitatum*, asyndeton quod relinquitur, alacritati ac gravitati orationis optime videtur convenire. — *pulchra* cum simulatione dicitur, ut fere apud Cicerouem, ubi a specie ad vim naturamque traducitur. Cf. p. Mur. 12, 26. *Condonare* est plus quam *donare*, quasi totam aliquam rem atque ita donare, ut quomodo quis velit utatur. Cf. infra § 39 *permissa et condonata.* De *certis hominibus* diximus supra ad § 6. —

reperio, Quirites, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum, nisi ut decem reges aerarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius reipublicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur legis agrariae simulatione ac nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege agraria, pulchra atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia: ostentari populi Romani agros, eripi etiam libertatem: privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri: denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt, reges in civitate constitui. Quae 16
cum exposuero, si falsa vobis esse videbuntur, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam: sin insidias fieri libertati vestrae simulatione largitionis intelligetis, nolite dubitare plurimo sudore et sanguine maiorum vestrorum partam vobisque traditam libertatem nullo labore vestro consule adiutore defendere.

Primum caput est legis agrariae, quo, ut illi putant, tempta- VII

Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil. — simulatione atque nomine. — ostentari populo Romano agros. — per tribunos plebis, quos — praesides — custodesque. — 16. cum, Quirites, exposuero. — videbuntur, esse. — nolitote. — maiorum [vestrorum] partam. — nullo vestro labore.

populi Romani agros. Sic scribi iubent codices falsumque est, quod in editionibus adhuc fuit *populo Romano.* Nam quoniam populus Romanus omnes cives complectitur communitatemque civitatis significat, quod populi Romani est, in aerario est atque huius reditus auget. Quare qui *populo R.* ostentantur agri, sunt ii, qui acquiri possint vel ab privatis vel ab externis populis, ut novi inde aerarii reditus efficiantur: qui *populi Rom.* agri ostentantur, ii dicuntur, qui cum sint in aerario, iam ad dividendum plebi promittantur. *Privatorum pecuniae* eunt non solum eorum, a quibus agri quanto volent omentur, sed fortasse etiam ipsorum Xvirum, qui curatione ad suum quaestum abutentur. *Tribunum plebis* unum intellige P. Servilium, qui quamvis complures ascriptores haberet, praecipuus tamen legis auctor erat.

16. *nolite dubitare.* Invitus prope feci, ut hoc quod codicum auctoritate commendari videretur, reciperem. Nam severa Latinitas, cum futurum in sententia secundaria adiungatur, imperativum futuri postulat. Nec in promptu est Ciceronis locus similis, etsi aliorum scriptorum bonorum reperiuntur. Quamquam ne de Cicerone quidem dubito; si enim praecedente futuro tamen in sententia inde apta non raro praesens ponitur, quomodo imperativi praesens tempus in simillima causa sequi posse negabimus? Nec fortasse h. l. Cicero ei de re, quae agenda esset, diceretur, praesens posuisset, veluti vix dixisset *nolite trib. pl. defendere,* sed in animi deliberatione, quae statim enscipi possit, etiam praesens feremus. Paulo post cur *diminutionem* scripserimus, dictum est ad orat. I, 7, 21. — *tribunum plebis* — *creare* i. e. Rullum (nam is legem tulit) comitia habere Xviris creandis, praesidere iis omniaque quae praesidem

mini leviter, quo animo libertatis vestrae diminutionem ferre possitis. Iubet enim *tribunum plebis, qui eam legem tulerit, creare Xviros per tribus septem decem, ut, quem novem tribus*
17 *fecerint, is Xvir sit.* Hic quaero, quam ob causam initium legum ac rerum suarum hinc duxerint, ut populus Romanus suffragio

deminutionem. — *decemviros* et sic semper pro Xviris. — 17. *rerum ac legum.*

oportet administrare. Cf. infra § 20 *Iubet — comitia Xviris creandis habere eum, qui legem tulerit.* Comitia autem sunt tributa; nam ea sola tribunos habere licet. Deinde scripsi *Xviros* nota numerali, non litteris expressis, siquidem sic antiquis temporibus consuevisse scribi reperio. Illud quidem exemplum, ex quo omnes, qui extant, libri ms. ducti sunt, iam litteris, non nota usum esse facile credo eoque magis, quod infra § 31, ubi nos IIIviros edidimus (nam horum ratio eadem est ac Xvirum), omnes codices mira erroris constantia habere video *talis viros* retenta vocali *i*, quae ex numerali per litteras scripto orta est. Movet me etiam quod § 18 *triumviri* appellantur, quod soloecum esse atque ab ratione Latinitatis abhorrere omnes concedunt. Item infra § 93 *duumviri* commemorantur, ubi ipsi deteriorum codicum errores in illo quod describeretur ἀρχετύπῳ ita fuisse docent. Quid igitur faciamus? Num soloecismum hunc Latinitatisque maximam violationem ab Cicerone profectam esse arbitrabimur? Non credimus, sed ipse nota numerali utebatur (atque ita solet esse etiam in inscriptionibus, in quibus aliquot exempla, ubi *duoviri*, nullum, ubi *duumviri* et *triumviri* dicantur, esse censeo) ipse igitur Cicero scribebat IIviros et IIIviros, itemque pronuntiabat, unde iocus ille de Treviris, quo epist. VII, 13, 2 usus est, extitit nec minus ceteri, quamdiu Latinitas constitit. Extincta demum ea cum grammaticae ratio negligeretur, qui describebant veteres codicos, librarii, dum notas explicant, litteras perperam ponere eosque errores, quibus nostri cod. inquinati sunt, gignere coeperunt. Cf. quae nuper admodum in programmate de T. Livi inscriptione et codice antiquissimo Veronensi p. 36 de Liviana consuetudine exposuimus. Quae cum ita sint, constanter in IIviris, IIIviris reliquisque deinceps nota numerali utendum esse duximus. Sed quod in hos, qui ab numero appellantur viros convenit, non convenit in reliquos numeros, qui per se ponuntur. Eos litteris scriptos fuisse antiquitus credere debemus codicibus, formaque *septem decem* reperitur etiam in Verr. V, 47, Phil. V, 7, 19. Nam utrum coniunctim an separatim, utrum *septemdecim* an *septemdecem* scribatur parvi refert.

17. *legum ac rerum.* Magis placet haec verborum collocatio, quam si res legibus anteponantur. Praecedere enim oportet leges, subsequi, quae ex iis gerantur. — *populus Romanus — privaretur.* Nam populus Rom. ex XXXV tribubus constat, ex quibus qui nonnullas discernit iisque omnem potestatem creandorum magistratuum defert, populum suffragio privat. Cf. infra § 22 *Quis maiorem partem populi suffragiis prohibuit?* Cur autem h. l. singularem *suffragio* posuit, illo loco pluralem *suffragiis*? Nimirum illic ipsa quae feruntur suffragia dicuntur, hic ius eorum ferendorum, quod cum semel

privaretur. Totiens legibus agrariis curatores constituti sunt, IIIviri, Vviri, Xviri: quaero a populari tribuno plebis, ecquando nisi per XXXV tribus creati sunt? Etenim cum omnes potestates, imperia, curationes ab universo populo Romano proficisci convenit, tum eas profecto maximo, quae constituuntur ad populi fructum aliquem et commodum, in quo et universi deligant, quem populo Romano maxime consulturum putent et unusquisque studio et suffragio suo viam sibi ad beneficium impetrandum munire possit. Hoc tribuno plebis potissimum venit in mentem, populum Romanum uuiversum privare suffragiis, paucas tribus, non certa condicione iuris, sed sortis beneficio fortuito ad usurpandam

triumviri, quinqueviri. — *studio ac suffragio.* — *beneficio fortuitu.*

iu una re populo Rullus eriperet, initium in omnibus rebus adimendi fecit pessimumque exemplum constituit. — *ecquando creati sunt?* Interrogationem directam atque indicativum postulat codicum ratio. Necdum inveni locum apud Ciceronem, ubi *ecquando* in interrogatione indirecta ponatur. Etsi *ecquid* satis saepe sic ponitur. Cf. orat. I, 4, 11. — *potestates, imperia.* Haec ad rem militarem pertinent ac quamquam quae summa sunt imperia, eadem potestatem habent, quaedam tamen sunt potestates, velut aedilicia, quaestoria, quae imperio careant. *Curationes* autem dicuntur, quae non perpetuae sunt, sed ad unam certam rem instituuntur, appellanturque ex numero eorum, qui praeficiuntur. — *studio et suffragio suo.* Est quasi ἓν διὰ δυοῖν; nam studium h. l. illud intelligendum est, quod in suffragio et suo ferendo et aliorum comparando situm est. Quare magis probo particulam *et* quam quod olim legebatur *ac.* — *Hoc* quasi praeludit iufinitivo *privare* additurque, quia ipse infinitivus obiecto ablativoque instructus parum recte a principio sententiae collocari poterat. Itaque non modo iuutilis, verum etiam parum apta est Ernestii coniectura *Huic tribuno plebis*, quae Servilium magis quam tribunatum, naturalem plebis praesidem, effert. — *non certa condicione iuris.* Certa iuris condicio fuisset, si certis tribubus nominatim potestatem faciendorum Xvirum dedisset eaque recte adhiberi potuissot, si quid ad certarum tribuum usum quaereretur: in hac quidem lege Servilia, quae totius populi commodum complecteretur, si ulla iuris diversitas esset admissa, magna videretur esse iniustitia. Sors quidem communis est omnium. Itaque deprehenditur in his calumnia quaedam oratoris quantoque magis eum existimamus fuisse clamaturum, si forte Rullus v. c. urbanas tribus exemisset et prae ceteris inter XVII esse iussisset! — *fortuito* h. quidem l. est adiectivum, quo ornari vocem beneficii non minus oportet quam iuris supra ornatur. Neque adverbium *fortuitu*, quod olim edebatur, bona Latinitatis aetate usurpatum atque a recentissimis demum scriptoribus inventum esse docuit Hand. Turs. II p. 742, cuius iudicium iam h. l. praestantissimi cod. 9 auctoritate confirmatur. *Libertas* autem iu eo est posita, ut nisi quem ipse feceris, non praesit: quare libertas usurpatur, cum populus eos qui sibi imperent, ipse comitiis creat.

18 libertatem vocare. *Item,* inquit, *eodemque modo,* capite altero,

18. *eodem modo.*

18. *item — eodemque modo.* Haec sine certa quadam sententia cumulata esse noli existimare. *Item* ait, quia comitiis et pont. maximi et Xvirum adhiberi volebat XVII tribus, non totum populum, *eodem modo,* quia ipsas illas septendecim tribus eadem in utrisque comitiis ratione effici iubebat. Nam cum tribuum certus ordo esset, i. e. cum una nominata ceterae suo ac certo ordine sequerentur, variis modis septendecim effici poterant, velut si una tantum sorte duci iuberetur, reliquae sedecim ex illo consueto ordine addi. At lex de pontifice maximo creando iubebat omnes, quae creaturae essent, sorte duci, quam eligendarum tribuum rationem P. Rullus a pontifice maximo ad Xviros transferebat. Pontifices autem maximi ab antiquissimis temporibus atque ab ipsa, ut existimo, origine libertatis semper creati sunt a populo, initio aliis comitiis, postea tributis. Nam si quis auctor eorum comitiorum esset memoriae proditus, eum h. l. Cicero videtur nominare debuisse, nec, si quis popularis tribunus ad plebis potentiam augendam id introduxisset, L. Sulla in restituenda senatus optimatiumque potentia reliquisset. Nunc perpetuus ille mos fuit ipsosque imperatores comitiis factos esse constat (Dio Cass. XLIX, 15). Quamquam minor hac in re comitiorum potestas fuit quam existimemus; etenim pontificem maximum ex ipso pontificum collegio creari oportebat: quare quamdiu ipsi pontifices a collegio cooptabantur, inter paucos comitiis certabatur. Eoque pertinet quod Cicero ait *maiores nostri voluerunt populo supplicari;* tota enim comitia vix quicquam valebant, nisi ut maiestas populi conservaretur atque illud teneretur, ne quis magnam potestatem iniussu eius haberet. Sed sustulit principum in hac re potentiam Cn. Domitius, trib. pl. anni 103 (Vellei. II, 12). Pertulit enim quod anno 145 frustra temptatum erat, ut eadem comitiorum ratione, qua pontifex maximus crearetur, id est per septendecim tribus, omnia collegia sacerdotum maiora, i.e. pontifices, augures, VIIviri epulones, XV sacris faciundis, crearentur. Nam antiqua consuetudo erat, ut cooptarentur i. e. ut ab ipsis collegiis fierent (hoc enim est cooptari, i.e. fieri ab iis, quorum collega futurus sis) ac *nefas* sive contra religionem atque impium adversus deos habebatur, ut sacerdotes non fierent ab sacerdotibus. Itaque Domitius et illud de minore parte populi sive de septendecim tribubus usurpavit et creationem cooptationi praecedere iussit et denique nominationem non sustulit. Quattuor igitur res in faciendis sacerdotibus discernendae sunt, nominatio, cum tres fere candidati ab uno vel duobus cuiusque collegii sodalibus proponebantur (Cic. Phil. II, 2, 4; auct. ad Herenn. I, 11), creatio, cum comitiis unus ex candidatis eligebatur, cooptatio, quae in collegio fiebat, inauguratio, cum novus sodalis ornamentis dignitatis afficiebatur diisque commendabatur. Hanc legem Domitiam sustulit L. Sulla, reddita collegiis cooptandi potestate, sed restituit hoc ipso quo Cicero cos. fuit anno extremo T. Attius Labienus. Ac consentiunt cum his rebus Ciceronis verba. Quod enim ait *atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius tulit,* de lege, quae aliquando lata, sed iam abolita erat, rectissime dici poterat: quae si rursus per Labienum fuisset restituta, Cicero id h. l. cum

ut comitiis pontificis maximi. Ne hoc quidem vidit, maiores nostros tam fuisse populares, ut, quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius, tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur. Videte quid intersit inter Cn. Domitium, tribunum plebis, virum nobilissimum, et P. Rullum,

exempla comitiorum per XVII tribus habitorum colligat, praeterire vix debuit. Veruntamen ut de reliquis sacerdotibus quae traduntur ab aliis, praeclare his verbis confirmantur, ita de comitiis pontificis maximi singularis nascitur difficultas. Quis enim ex eo, quod Cicero habet *ut comitiis pontificis maximi*, quorum comitiorum auctores nominat maiores, non debet colligere, non aliquando illa fuisse comitia, verum ipso illo tempore, quo Rullus legem suam ferebat et Cicero dicebat, fuisse? Nam in ipsa lege Servilia comitia Xvirum eadem ratione qua pontificis maximi habeantur, iubentur haberi. Certum hoc utique debet videri. At Dio Cass. XXXVII, 37, ubi de lege Domitia per Labienum tr. pl. renovata refert, Caesarem imprimis, eum qui postea dictator fuit, Labieno renovandi auctorem fuisse ait ob eam causam, quod Metelli Pii modo defuncti pontificatum concupisceret perlataque lege effecisse, ut quamvis adolescens duobus potentissimis competitoribus victis pontifex maximus crearetur. Quae cum pugnent cum Ciceronis hoc testimonio, a nonnullis Dio contemnitur, qui falsas Labieni adiuvandi causas Caesari subiecerit, ab aliis haec Ciceronis verba ita detorquentur, ut nulla tum omnino pontificis maximi comitia fuisse statuant. Nos quidem neutrum auctorem errasse statuentes illud, quod diximus, tenemus, pontificem maximum non potuisse fieri, nisi qui esset pontifex: Caesar autem cum nondum esset pontifex, nisi faciendorum pontificum potestatem ad populum transtulisset, maximum pontificatum comitiis adipisci non potuisset. Quamquam huic quoque interpretationi adversari videatur Vellei. II, 42, qui Caesarem in locum C. Aurelii Cottae ante quaesturam ait absentem in Asia factum esse pontificem. Sed *pontificem* illo loco intellego non proprie collegii pontificum sodalem, sed latiore quodam sensu *augurem*. Nam fuisse Caesarem augurem constat (Dio XLII, 51; Cic. ep. XIII, 68) nec quando factus sit traditur. — *quod — in eo.* Noli ita intellegere, ut inter se respondeant. Creatur enim *aliquis*, non *aliquid*. Quare *quod* intellege *quia; in eo* est in pont. maximo.

19. *virum nobilissimum.* Gentis Domitiae Ahenobarborum familia, ex qua hic trib. pl. fuit, opulentissima fuit ac princeps prope plebeiarum. Cf. Suet. Ner. 1. Ipse hic consul fuit anno 96, censor ann. 92. At Serviliorum erant illae quidem nonnullae familiae nobilissimae, velut Ahalarum et Caepionum et Isauricorum, sed haec Rullorum ignota nec de huius maioribus quicquam notum, nisi quod Plin. nat. hist. VIII, 78 ait patrem huius primum in epulis solidum aprum apposuisse. Quare Cicero et hunc cognomine appellat

qui temptavit, ut opinor, patientiam vestram, cum se nobilem esse diceret. Domitius, quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret: hic, quod populi semper fuit, quod nemo imminuit, nemo mutavit, quin ii, qui populo agros essent assignaturi, ante acciperent a populo beneficium quam darent, id totum eripere vobis atque e manibus extorquere conatus est. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit: hic, quod adimi nullo pacto poterat, populi potestati quadam ratione eripere conatur.

VIII, 20 Quaeret quispiam in tanta iniuria tantaque impudentia quid spectarit. Non defuit consilium: fides erga plebem Romanam, aequitas in vos libertatemque vestram vehementer defuit. Iubet

19. *semper proprium fuit. — quin et qui. — populo om. — nullo pacto potest, tamen quadam. — 20. Romanam, Quirites, aequitas.*

et nobilem esse negat. — *populi ad partes daret.* Insolenter hoc dictum est ac dubito num vere. Negarat sacerdotum creationem populi posse fieri, quare hic tantum dicere potest, tamen partes quasdam in ea re agendas populo esse traditas, nimirum, ut minor populi pars crearet, deinde ut ex iis, qui nominati essent, electio daretur. Sed hoc num Latine *ad partes alicuius dare* dici possit nescio diversumque quod Liv. III, 10 dixit *ad partes paratus*, ad quem locum Drak. plura similia laudat. Nec tamen quicquam mutavi; videtur enim esse dicendi genus a scaena petitum, quod ut nobis ignotum esset casu fieri potuit. Quod autem paulo post edi solebat *quod populi semper proprium fuit*, laudabimur certe, quod auctoritate cod. Lag. 9 expulimus *proprium;* nam et ante genitivo solo usus erat nec proprium apud Ciceronem, quod in potestate alicuius est, videtur dici. — *quin.* Notanda haec particula, quae excusatur, quod *nemo mutavit* est i. q. nemo prohibuit. Quod quidem Halmius coniecit *ut,* nisi negatione addita quomodo feratur, non intelligimus. — *adimi — poterat, populi potestati.* Quod in cod. omnibus est *adimi — poterat potestate,* non ferimus. Nam quod quidam *potestatem* explicabant de eo, quod legitima magistratuum potestate, non vi eripi posset, et de vi facienda vel leviter mentionem fieri ineptum est et vix quicquam videtur esse quod vi adimi non queat. Iam tota vox facile potest abesse atque elegans est Kahnii coniectura ab Baitero recepta *nullo pacto potest, tamen quadam ratione;* sed cum codicum nostrorum eam naturam esse videam, ut adiicienda potius quaedam sint quam delenda, *populi potestati* scripsimus levissima mutatione; nam populus cum duabus primis litteris vel una prima significari soleret, quam facile eadem littera insequente excidere potuerit intelligitur.

20. *fides erga plebem Romanam,* i. e. non praestat quod praestaturum se esse plebi promisit, ut eam tutaretur eiusque commodum in omnibus rebus spectaret. Nam eam ob causam tribuni pl. constituuntur. *Aequitatem* intellige iustitiam vel, quod etiam plus est, propensam voluntatem, qua non modo

enim habere comitia Xviris creandis eum, qui legem tulerit. Hoc dicam planius. Iubet Rullus, homo non cupidus neque appetens, habere comitia Rullum. Nondum reprehendo: video fecisse alios. Illud, quod nemo fecit, de minore parte populi, quo pertineat videte. Habebit comitia: volet eos renuntiare, quibus regia potestas hac lege quaeritur. Universo populo neque ipse committit neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse: sortitur tribus idem Rullus, homo felix educit quas volet tribus. 21
Quos novem tribus Xviros fecerint ab eodem Rullo eductae, hos

comitia decemviris habere. — 21. *sortietur.* — *educet.*

magistratus, verum cives omnes in libertatem pop. Rom. uti debent. Paulo autem post restituimus veram verborum collocationem auctoritate codicum; nam quod olim solebat edi *comitia Xviris habere creandis*, poetarum est, non Ciceronis. — *non cupidus neque appetens.* Hoc quanta simulatione dictum sit apparet. Vult enim persuadere hominibus cupiditate duci Rullum, non iustitia, ut quod verum aequumque sit negligat, tum eundem esse appetentem, nimirum pecuniae ac sui commodi. — *fecisse alios.* Immo morem fuisse censeo, si quis de curatione constituenda tulisset, ut idem comitiis faciendorum curatorum praeesset. Quod si cum more vel adeo si cum legibus pugnasset, quantopere reprehendisset orator! Ac leges illae, quae § 21 nominantur, eum vetabant tantum fieri curatorem, faciendis praeesse non vetabant. Quod autem sequitur pronomen *illud*, coniunge cum iis, quae sunt *de minore parte populi*, i. e. illud, quod attinet ad minorem partem populi, quam suffragia ferre vult. Redit orator ad illud, quod ante posuerat, quaesituros esse homines, *quid spectarit*, i. e. quo pertineat, quod ferebat. Spectasse autem ait Rullum duas res, primum ut maiorem populi partem, utpote nullius in comitiis momenti, spernere liceret, deinde ut ipse cum suis Xvir fieret. Quorum prius sic explicat: Esto, habebit igitur comitia Rullus. Etenim eos, quibus potestas regia futura est, a se *renuntiari* vult, i. e. habitis comitiis Xviros declarari, ut a se potissimum tantam potestatem accepisse videantur. Tum parenthesis quasi loco inserit, quod consilium iam nunc Rullus sequatur, ut, cum habiturus sit comitia, quod velit, efficiat. Id consilium dupliciter exequitur, ut Rullum dicat primum universo populo non committere, deinde sorti confidere eique sorti, quam ipse regat. Respondent igitur inter se *committit* et *sortitur*, *educit*, ut recte in omnibus cod. haec praesentia tradi arbitrer, non recte ab editoribus adhuc praeferri *sortietur* et *educet*. Quamquam etiam futurum *volet*, quod inter media praesentia interiicitur, fero; siquidem etiam haec ad id quod futurum est, pertinent. *Committere* saepe dici constat obiecto omisso, ut sit i. q. fidem habere. Cf. infra § 23 *et committi huic optime.* Quod autem omnes cod. mendose exhibent *putantur*, emendavit Naugerius, qui idem ab initio huius paragraphi quod in cod. erat *spectant* mutavit in *spectarit.*

21. *idem Rullus* i. e. idem qui habet comitia. Sed cumulat h. l. de industria pronomen invidiae faciendae causa ac paulo post repetit *ab eodem Rullo eductae,* quasi sortiri et educere tribus diversum sit. — *educit,* nimirum

omnium rerum, ut iam ostendam, dominos habebimus. Atque hi, ut grati atque memores beneficii esse videantur, aliquid se novem tribuum notis hominibus debere confitebuntur, reliquis vero sex et viginti tribubus nihil erit quod non putent posse suo iure denegare. Quos tandem igitur Xviros fieri vult? Se primum. Qui licet? Leges enim sunt veteres neque hae consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed tribuniciae vobis maioribusque vestris vehementer gratae atque iucundae. Licinia est lex et altera Aebutia, quae non modo eum, qui tulerit de

Atque ii, ut grati ac memores. — iure se denegare. — neque eae consulares.

o sitella, in quam sortes coniiciebantur. *Cista* erat, in quam tabellae in suffragiis ferendis perveniebant. — *Atque hi.* Sic esse oportet, non *ii*, quod ante nos edebatur. Sunt enim iidem, quos modo dixit *hos omnium rerum — dominos habebimus.* *Noti* autem *homines* sunt, quos in sua quemque tribu plurimum posse notum est, quorum opera ad tribus conficiendas expetitur atque emitur. Obliqua igitur inest vituperatio, ut eum, qui vulgo notus sit, parum bonis artibus notum esse iudices, unde *notus* interdum est i. q. famosus, infamis, veluti p. Coel. 13, 31 *muliere non solum nobili, sed etiam nota.* — *suo iure denegare.* Editur nunc vulgo *suo iure se denegare,* olim idem pronomen inseruerant alio loco. Sed codicum omnis auctoritas abesse iubet ac facile eo caremus, non quod existimemus apud Ciceronem accusativum pronominis apud infinitivum omitti (cf. p. Mur. 3, 7 quae diximus), sed quod hoc loco, cum similis sententia *se debere confitebuntur* antecedat, ex ea pronomen intelligendum est. — *si quid interesse hoc.* Pronomen *hoc* est acc. neutrius, intellige quod non sunt consulares. Additur enim pronomen saepe tamquam supervacaneum, uti ad Att. XI, 22, 2 *Etiam illud mea magni interest, te ut videam;* de leg. II, 15, 38 *civitatum hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum conservare modum.* Alterum quidem pronomen *quid* prorsus solito more, ut quantum intersit significetur, adiectum est. Consulares autem leges fere ad confirmandas optimatium opes, tribuniciae ad plebis potestatem augendam pertinent, quia consules senatus partes defendere, tribuni plebem tueri ipso magistratuum illorum instituto coguntur. Sed hae quidem tribuniciae leges tamen tribunorum libidinem coercebant. — *Licinia lex et altera Aebutia.* Ignotae sunt leges, sed tempus earum definit veteres appellando maioresque commemorando. Ultra Gracchos quidem non sunt referendae, quia et Tiberium et Gaium constat legibus agrariis, quas tulerant, et ipsos et collegas et propinquos curationes accepisse, quos si ullae tunc tales leges essent, tantam invidiae faciendae occasionem inimicis non praebituros fuisse censeo. Immo paulo post Gracchos ipsorum causa latas esse existimo. Licinia quidem vetustior erat, quae, si Cic. p. dom. 20, 51 credendum est, solos ipsos legum latores excepit, Aebutia addidit reliquos. Caesar autem cum non multo post in consulatu legem agrariam ferret, diligenter ne in has leges incideret cavit (Dio Cass. XXVIII, 1).

aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. Etenim 22
si populo consulis, remove te a suspicione alicuius tui commodi: fac fidem te nihil nisi populi utilitatem et fructum quaerere: sine ad alios potestatem, ad te gratiam beneficii tui pervenire. Nam hoc quidem vix est liberi populi, vix animorum vestrorum ac magnificentiae: Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem IX
partem populi suffragiis prohibuit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Quis tribus quas voluit vocavit nullo custode sortitus? Quis Xviros quos voluit renuntiavit? Idem Rullus. Quem prin-

22. *vestrorum animorum.*

22. *sine ad alios* i. e. non ad te; ipsi, ad quos potestas perveniat, non definiuntur. Itaque recte emendatum est, quod cod. omnes habent *ad illos*, quasi certi sint homines, ad quos lege Licinia et Aebutia potestas perveniat. — *hoc quidem*, quod sequitur de sermone quasi habito inter interrogantem et respondentem, quem posse haberi parum ait libertati populi Romani convenire. *Magnificentiam* intellige non splendorem externamque speciem ex rebus gestis consecutam, sed *rerum magnarum propositionem animi*, sicut definit Cic. de invent. II, 54, diciturque de off. I, 21 *capessentibus remp.* — *magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum.* — *suffragiis prohibuit.* Cf. quae supra ad § 17 dicta sunt. Diversum hinc est, quod infra dicit *maiore parte populi suffragiis spoliata comitia habebit quae volet*; nam ibi quia addit *comitia habebit quae volet*, tempus in quod spoliarit significat. Quare ut illic recte ait *spoliata*, ita hic, quod re verius est, tantum *prohibuit*, i. e. non iure suffragii privavit, sed interim suffragia ferre non passus est. — *nullo custode sortitus.* Duo genera custodum in comitiis adhiberi solebant, unum quasi publicorum, qui publice ab eo qui comitia habebat, eligebantur, ut suffragia et ferenda et postea diribenda custodientes ne quid cum fraude ageretur viderent, alterum privatorum, quos sive lex sive vetus consuetudo candidatis permittebat iisdem rebus apponere. Quod cum olim ex compluribus veterum scriptorum locis colligeretur, tum nunc ex legis municipalis Malacitanorum cap. LV plane apparuit. Utrumque autem hominum genus appellabantur custodes. Sed in sortiendo talis cura adhiberi non poterat. Nam et in vulgaribus comitiis praerogativa, quae prima suffragia ferret, aliaeque tribus sorte ducebantur et in his Xvirum comitiis septendecim tribus sorte electas esse vidimus. Quam sortitionem totam ei, qui comitia haberet, nullo custode publice apposito permissam esse cum scriptorum silentium tum legis Malacitanae cap. LIII ostendit; privatim tamen quin candidatorum custodes huic quoque rei affuerint, dubitari non potest. Quare de nullo custode constituendo cave existimes Rullum quod ab consuetudine recederet, praecepisse. Vitiose autem cod. Lag. 9 habet *Rullo custode*, item vitiose *sortitas*. Neque enim sortiri ne in participio quidem apud Cic. passive dicitur dubiusque est, qui in eo genere citari solet, locus ad Att. IV, 16, 6. — *idem Rullus.* Pro-

cipem renuntiavit? Rullum. Vix mehercule servis hoc eum suis, non vobis omnium gentium dominis probaturum arbitrarer. Optimae leges igitur hac lege sine ulla suspicione tollentur. Idem lege sibi sua curationem petet: idem maiore parte populi suffragiis spoliata comitia habebit quae volet atque in iis se ipsum renuntiabit et videlicet collegas suos, ascriptores legis agrariae, non repudiabit: a quibus ei locus primus invidiae et in praescriptione legis concessus est, ceteri fructus omnium rerum, qui

arbitror. — ulla exceptione. — habebit; quos volet. — primus in indice et in praescriptione.

nomen *idem* adiecit, quia tria interrogata complectitur, quae singula si suo responso ornasset, nomen tantum posuisset. Itaque qui memoriter hunc locum citans suum cuique parti responsum tribuit, pronomen omittit, Aquila Rom. de fig. sent. et eloc. 36 *Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decemviros creavit? Rullus.* Retinuit tamen Mart. Cap. V, 534 *Quis legem tulit? Rullus. Quis decemviros quos voluit creavit? Idem Rullus.* — *arbitrarer.* Et codicum auctoritate et sententia ipsa haec lectio commendatur. Pertinet enim coni. ad priorem enuntiati partem, *vix servis hoc eum suis probaturum arbitrarer*, quam cum contra veritatem fingeret, imperfectum ponendum erat. Poterat sine dubio etiam indicativo *arbitror* uti; sed is lenior esset, quasi accidere posset, ut talia servis praeciperet. Est enim idem discrimen ac si dicas *vix hoc probaret* et *vix hoc probabit*, quorum illud in hac re aptius esse apparet. — *sine ulla suspicione* i. e. ita, ut nemo eas tolli suspicetur, quia non nominantur; nam si suspicaremini eas iri sublatum, non probaretis. Naugerii coniectura effectum est, quod adhuc fero edebatur *sine ulla exceptione*, quod parum probandum esse videmus. Est enim aut hoc, omnes leges optimas nulla excepta tolli idque falsum, quia de duabus tantum, Licinia et Aebutia, dicit, aut hoc, illas leges ita totas tolli, ut nihil ex iis excipiatur, quod non magis aptum est. Nam cum unam rem illis legibus praecipi eandemque lege Servilia tolli dicat, illas totas tolli inutile est dicere. — *lege sibi sua.* Dativum pronominis noli coniungere cum verbo, quod per se ipsum optime constat, sed additum est possessivo gravitatis causa, tamquam dicas sua quae sibi propria est lege. Notus est hic usus ex comicis, apud Ciceronem rarissimus; nam Phil. II, 37, 96 propriam suam vim retinet *sibi* et Lael. 3, 11 alterius dativi causa, qui opponitur, adiectum est. — *comitia habebit quae volet.* Sic scribi oportet; nam quantopere comitia electis XVII tribubus ipsa mutentur atque alia fiant apparet. Olim edebatur *quos volet atque in iis se ipsum renuntiabit*, quod pugnat cum Cicerone. Dixerat ille quidem, quos vellet, Rullum renuntiaturum, sed ipsum hunc fore Xvirum principem. Contra hic si *in iis*, qui renuntiarentur, ipsum fore diceret, non principem, sed aliquem, fortasse postremum, certe eum, qui in reliquorum multitudine quasi lateret, futurum esse significaret. — *locus primus invidiae et in praescriptione legis.* Ea Rullo ait ab collegis concessa esse, quae aut mala aut certe inania essent, primum invidiam, quae, quamvis lex grata esset plebi,

in spe legis positi sunt, communi cautione atque aequa parte retinentur.

At videte hominis diligentiam, si aut Rullum cogitasse aut 23
sic Rullo potuisse in mentem venire arbitramini. Viderunt ii,

legis huius positi. — aequa ex parte. — 23. aut si Rullo. — viderunt ei, qui.

tamen apud multos magna contrahebatur ex ipso agrariae largitionis nomine, ex agri publici divisione, ex aerarii exhaustione. *Praescriptionem legis* intellige verba iis quae lege iubentur, praemissa, i. e. in hac lege *P. Servilius P. F. Rullus trib. pl. plebem iure rogavit plebesque iure scivit. Tribus .... principium fuit, pro tribu ..... primus scivit,* quae verba ab nomine Servilii ordiuntur. In senatus consultis quidem plura continet *praescriptio;* in iis enim antequam decretum ipsum ponitur, solent quasi causae, cur decernatur, afferri pluribusque verbis commemorari, quare Cicero ep. IV, 2, 4 Q. Metellum in praescriptione senatusconsulti laudari ait. Alia rursus est praescriptio edictorum, cum magistratus tantum nomen honoremque complectitur apud Tac. Annal. I, 7. At enim *invidiae* vox veteribus interpretibus, qui Ciceronis lepidam simulationem non intelligerent, displicuit emendaruntque *in indice,* quod transiit adeo in cod. quosdam; nam in Lagomarsinianis non est. Neque *index legis* non recte dicatur ille, qui factus est ad hanc legem facile ab aliis dignoscendam, veluti si in conspicua aliqua aeris parte inscribatur *lex Servilia agraria.* Ita *index orationis* apud Liv. XXXVIII, 56 est titulus quasi orationis, et eius qui dicit et eius contra quem dicitur nomina continens, similiterque intelligendus Cic. ad Att. IV, 15, 9. Sed haec lex Servilia dubito num ita ab compluribus tribunis pl. rogata sit, ut eorum nomina in ipsa praescriptione legis adiicerentur. Ita Cicero unum Rullum impugnat, ita reliquos nusquam nominat, ut eam ab uno utique rogatam esse existimem: reliqui assensum ascribendis legi nominibus suis significarant. — *communi cautione atque aequa parte.* Reliquos qui ascripserant tribunos communiter cum Servilio pepigisse ait, ut ex fructibus legis tantundem singuli ferrent, quantum ille acciperet. Haec igitur illa est *communis cautio* sive pactio tamquam Ictorum more instituta. Sed quod legitur *aequa parte,* ipsum adiectivum similiter dicitur in Verr. III, 19, 49 *cum ex provincia populi Romani aequam partem tu tibi sumpseris atque populo Romano miseris;* Phil. X, 7, 15 *etsi est Brutorum commune factum et laudis societas aequa*; p. Mur. 14, 31 *L. Scipio aequa prope cum Publio fratre gloria,* sed num *aequa parte* dici possit, videtur esse incertum. Nec dubitandum est, quin *aequa ex parte* bonum ac frequens sit, sed credo etiam de solo ablativo. Reperitur enim de off. I, 38 *magna parte,* Liv. IX, 24, 12 *maxima parte;* hoc quidem loco auctoritate cod. 9, ceterorum vel dissensione vel corruptione commendatur. Nam quam prompti librarii ad addendum fuerint, etiam paulo supra intelligitur, ubi cum satis sit *spe legis* (ac ferebant *in praescriptione legis*), adiecerunt tamen plerique perspicuitatis cuiusdam causa *spe legis huius.*

23. *aut sic Rullo.* Quod codices habent *aut si Rullo,* non levem offensionem movet. Nam *si,* quod antepositum atque utrique membro com-

qui haec machinabantur, si vobis ex omni populo deligendi potestas esset data, quaecunque res esset, in qua fides, integritas, virtus, auctoritas quaereretur, vos eam sine dubitatione ad Cn. Pompeium principem delaturos. Etenim quem unum ex cunctis delegissetis, ut eum omnibus omnium gentium bellis terra et mari praeponeretis, certe in Xviris faciendis, sive fides haberetur sive honos, et committi huic optime et ornari hunc iustissime
24 posse intelligebant. Itaque excipitur hac lege non adolescentia,

terra marique.

mune est, in oratione diligenter scripta repeti non debuit nec recte statunnt saepius Ciceronem hac negligentia usum esse, ut severam membrorum seiunctionem turbaret. Etenim de fin. II, 5, 15 ubi est *si aut — aut cum* totam orationem mutatam esse apparet, itemque ad Att. III, 4 *ne et Sicca — periret et quod — non licebat;* nam ad Att. III, 6 *in eis et ut in Epiro consisteremus et de reliquis rebus tuo consilio uteremur* diligentissime membrorum diversitas observata est. Itaque relinquitur Cic. orat. 44, 149 *Collocabuntur verba, ut aut — aut ut — aut ut,* Liv. II, 27, 2 *postulabant ut aut referret — aut ut,* quo utroque loco emendandum est, neque id aut apud Ciceronem difficile aut in Livianorum codicum ratione non probabile. Hoc quidem, de quo disputamus, loco etiam illud molestum est, quod vix recte dicas Rullo non potuisse in mentem venire. Cui enim homini, quamvis stulto ac tardo, non aliquid in mentem veniat? Addidimus igitur, quid venisset, scripsimusque una littera adiecta *sic. — quem unum.* Bellum piraticum dicit et Mithridaticum, quod consecutum est, in quo non unius provinciae, sed prope omnium provinciarum imperium Cn. Pompeio delatum erat, ut et gentes omnes et bella omnia complecteretur. Quod *terra et mari* ait (hoc enim tuetur codicum non dubia auctoritas), idem legitur ad Att. X, 4, 3; alioquin *terra marique* longe est frequentius. — *sive fides haberetur sive honos.* Ad fidem pertinet, quod dicit Pompeio iustissime *committi* (cf. supra ad § 20), ad *honorem,* quod ornari eum iustissime.

24. *Itaque excipitur* sq. Hanc sententiam qualis in nostris cod. omnibus legitur, intelligi non posse, sed aut deesse aliquid aut superesse apparebat sentiebatque Naugerius, qui ut particulam *enim* (nam codices habent *praesentem enim profiteri iubet*), quae quo pertineret, non habebat, tolleret, *praesentem eum profiteri iubet* scripsit: quod parum certe probandum est. Nam nec nominatim Pompeium in lege exceptum esse constat, nec, si de omnibus universe dicatur, pronomen ferri potest. At enim Graevius ex paucorum, qui in Germania erant, codicum fide edidit: *ac legibus impeditus, reus denique, quominus Xvir fieri possit, non excipitur: Cn. Pompeius excipitur, ne cum P. Rullo, taceo de ceteris, Xvir fieri possit. Praesentem enim* sq., eaque nunc solent accipi. Probabilem enim hanc omittendi causam afferunt, quod librarios duarum enuntiationum simili exitu *Xvir fieri possit* deceptos esse dicunt. Quae mihi quidem dupliciter displicent. Primum enim illud *ne cum P. Rullo, taceo de ceteris* quid significat? Nimirum hoc, taceri de ceteris, quia comparari

non legitimum aliquod impedimentum, non potestas, non magistratus ullus aliis negotiis ac legibus impeditus, non reus deni-

24. negotiis [ac legibus] impeditus; reus. — possit, non excipitur; Cn. Pompeius excipitur, ne cum P. Rullo, taceo de ceteris, decemvir fieri possit. Praesentem.

cum Rullo non queant, quia longe eo sint inferiores vel virtutibus vel vitiis. At modo § 23 dixit, Rullum esse stultissimum, reliquos legis ascriptores Pompeium noluisse admitti; ineptum igitur est, nunc Rullum praeferri ceteris. Deinde *ne cum Rullo Xvir fieri possit* numquid est aliud ac paulo post legitur *ne illum sibi collegam ascriberetis?* Intoleranda autem haec est eiusdem sententiae repetitio, ut ab librario omnia illa adiecta esse iudicemus. Quare Lambinum secuti negationem supplevimus *non reus denique;* ita et prius sententiae membrum constat et alterum recte adiungitur. Nam si in lege unum hoc praecipiatur, ut praesentes profiteantur, in eo inest, ut omnia illa, quae ante dicta sunt, non excipiantur. Similis autem interpolatio, sed facilior ad intelligendum, quia postea facta est neque in libros ms. invasit, reperitur paulo post, ubi Hervagius, ut videtur, cum rursus de lacuna suspicaretur, ita scripsit *quorum certus ordo est. Timebat enim Pompeius ne si adesset, ferri non posset aut ne* cet., quae in recentibus editionibus omittuntur, sed contemni vix magis debuerunt quam illa. Nimirum hic quoque error est in omnibus nostris libris ms. *sive accepta lex esset,* quem Iuntinus demum editor correxit. — *non adolescentia.* Etenim cum antiquitus moris fuisset, ne quis ante decem stipendia expleta ad honores admitteretur, postea anno 180 lata est lex Villia annalis, qua cum certi honoribus anni praescriberentur, adolescentia excludebatur. Sed et vetus consuetudo et haec lex tantum ad consulatum, praeturam, aedilitatem, quaesturam pertinebat: tribunatui quidem non videntur certi anni praescripti fuisse nec magis, ut videtur, curatoribus. Quare non vituperat Cicero, quod adolescentia non excipiatur, sed quod illa non excepta iubeantur tantum praesentes profiteri. — *legitimum aliquod impedimentum.* Adrian. Turnebus de caecitate, surditate, furore cogitat, quae vix arbitror in ulla lege esse excepta. Magis credo de ignominia, eum qui iudicio publico condemnatus esset, eumve, qui ignominiae causa ab exercitu dimissus esset, item de turpi quaestu, de eo, si quis depugnandi causa auctoratus esset, aliisque eiusmodi rebus, quas postea in legibus municipalibus excipi invenimus, quas ab antiquis reipublicae Romanae legibus repeti probabile est. Vituperat autem etiam hoc in genere Cicero, quod in superiore, cum lege Servilia nisi praesentem profiteri non liceret, tamen non excipi nominatim legitima haec impedimenta: quae observari quidem nihilominus etiam in his Xviris faciendis oportebat. — *non potestas, non magistratus ullus.* Potestas est, si quis v. c. aliam aliquam curationem, quales multae sunt in republica, habet, qui non legibus ille quidem ullis vetatur Xvir fieri, sed rectius prohibetur, quia aliis negotiis distinetur. Legibus autem a Xviratu prohibentur magistratus; parum enim recte illud quod est *ac legibus,* quod in uno minus bono codice deest, omittitur. Iam veteres num fuerint leges, ne quis magistratum cum curatione agraria coniungeret, est incertum, quae hoc tantum videntur sanxisse, ne quis eodem anno duos magistratus gereret (Liv. VII, 42; XXXIX, 39), Gracchorumque aetate complures simul et magistratus et IIIviros

que, quominus Xvir fieri possit. Praesentem enim profiteri iubet, quod nulla alia in lege unquam fuit, ne in iis quidem magistratibus, quorum certus ordo est: ne, si accepta lex esset, illum sibi collegam ascriberetis, custodem ac vindicem cupiditatum.
X Hic quoniam video vos hominis dignitate et contumelia legis esse

ne in his quidem.

fuisse video. Sed L. Sullam arbitror, cum iura magistratuum severius sanciret (Appian. bell. civ. I, 100), etiam de curatione cum magistratu non coniungenda tulisse. — *non reus.* Non in legibus hoc fuisse iudico, sed in more; certe necessarium erat. Quoniam enim magistratum ipsum eumve qui reip. causa abesset, iudicio persequi non licebat, si qui reus factus esset Xvir, iudicium elusisset. Quare paulo ante hoc tempus Sall. Cat. 18 L. Catilinam quod reus esset repetundarum ex Africa, prohibitum esse narrat consulatum petere. — *nulla alia in lege.* Quid? Igitur absentem profiteri licebat? Certe non licuisse scimus, legibusque solvendum fuisse, cui absenti petitio daretur. Sed primum Cicero cum nulla in lege fuisse dicit, eas leges intelligit, quae de creandis vel singulis magistratibus vel curatoribus erant, idque ex eo, quod addit *ne in his quidem magistratibus quorum certus ordo est,* perspicitur. Recessit igitur Rullus a consuetudine, cum in ipsam de Xviris legem hoc recepit, etsi hac re movebatur, quod quae in reliquis magistratibus valerent, eadem in his Xviris observari cuperet. Deinde ne in iis quidem legibus, quae universe de petitione magistratuum latae erant, ipsum hoc verbum *praesens* inventum esse arbitror. Neque enim unquam maiestatis cuiusdam populi tuendae causa, quod dedecere existimarent candidatos non ipsos, sed per amicos profiteri populoque supplicare, hoc latum est, ut candidati in urbem venirent ipsique profiterentur: sed id agebatur idque saepius legibus cautum erat, ne imperia continuarentur atque accusandi spatio adempto magistratibus impunitas peccandi gigneretur. Hoc autem si sanciebatur, simul sanciebatur, ne absentes profiterentur; *absens* enim intelligitur, qui reip. causa abest, qui cum imperio est, *praesens,* qui imperium deposuit. Idque ita scriptores solere et dicere et intelligere nuper in Studiis Romanis p. 172, ubi de dictatoris Caesaris imperio diximus, uberius sumus executi. Iam ne continuarentur imperia magistratusque ex magistratu gereretur, non minus constat legibus fuisse sancitum, quam ne duo simul magistratus gererentur, ipsaque lex Villia annalis providebat, qua cum v. c. inter praeturam et inter consulatum triennium interesse iuberetur, unus ipsi praeturae tribuebatur, alter prorogationi imperii, tertius imperio vacuus, quo adesse in urbe novumque honorem petere liceret. Apparet, opinor, quo pacto et leges praesentes profiteri coëgerint, et Cicero vocabulum illud in ulla lege esse neget atque in legem Serviliam receptum esse aegre ferat. Quamquam non multo posthac cum anno 52 legem severiorem de iure magistratuum Cn. Pompeius ferret, ipsum hoc vocabulum *praesens* adhibitum absentesque omnes ipso hoc nomine ab honorum petitione summotos esse existimo (Suet. Caes. 28; Dio Cass. XL, 56). Nihil igitur est hoc loco, quod cum aliorum scriptorum testimoniis pugnet, nihil, quod non ipse verissime Cicero dixerit. Nec perturbabimur, quod C. Caesar cum anno 60

commotos, renovabo illud, quod initio dixi, regnum comparari, funditus libertatem vestram hac lege tolli. An vos aliter existimabatis? cum ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adiecissent, non eos imprimis id acturos, ut ex omni custodia vestrae libertatis, ex omni potestate, curatione, patrocinio vestrorum commodorum Cn. Pompeius depelleretur? Viderunt et vident, si per imprudentiam vestram, negligentiam meam legem incognitam acciperetis, fore, ut postea, cognitis insidiis, cum Xviros crearetis, tum vitiis omnibus et sceleribus legis Cn. Pompeii praesidium opponendum putaretis. Et hoc parvum argumentum vobis erit a certis hominibus dominationem potestatemque

25. *homines [cupiditatis] oculos. — acceperitis. — uti postea. — creetis. — putetis.*

consulatum peteret, quia non obtineret ut legibus solveretur, narratur triumphum, quem ante portas expectabat, dimisisse ac praesens esse professus (Suet. Caes. 18): de imperio, quod retinebat, tunc agebatur, quod cum specie ac triumphi causa haberet, merito cupiebat solvi legibus, idque nisi inimici obstitissent, facile impetrasset. — *magistratibus, quorum certus ordo est,* i. e. consulatu, praetura, aedilitate, quaestura, quibus petendis lege Villia annali, quam diximus, certa tempora constituta sunt. Horum autem honorum maior quaedam cura habenda erat, quod ex iis nobilitas, imagines, locus in senatu omniaque quae praeclara habebantur, pendebant. — *renovabo.* Notabile, sed tamen aptum nec a natura verbi alienum est, quod ipsum suum iudicium, quod § 15 iam tulerat, renovari ait, cum frequentius dicatur memoria renovari.

25. *cupiditatis oculos* i. e. cupidissimos oculos, ut in Phil. XI, 5 est *impudentissimos oculos spe et mente defigere in alicuius possessiones atque fortunas.* Sed est in substantivo aliquid insolitum ac poetarum prope simile. Iam enim per se *oculum adiicere alicui rei* est cupidum esse eius, ut in Verr. II, 15, 37 *videbant adiectum esse oculum hereditati.* — *acciperetis.* Laborat hic locus temporibus verborum, quae in libris ms. facile confunduntur, velut paulo supra quod *existimabatis* necessario requiritur, incertum est an librariorum correctione extiterit. Sed hoc loco deteriores libri exhibent *acciperetis*, omnes *crearetis* et *putent:* quare editores cum *acceperitis* probassent, emendarunt etiam *crearitis*, ut ubique vel praesentia vel perfecta scriberentur. Quamquam certe illud *crearitis* reiiciendum, est enim *creatis Xviris,* oportet autem esse *in creandis Xviris,* quibus factis Pompeii praesidium non amplius potest opponi. Quare Wesenberg. ad Cic. p. Sest. p. 48, ut sententiae etiam consuleret, commendavit *creetis.* Nobis quidem id videtur esse violentius, dubitamus etiam, num significarit Cicero posse per negligentiam suam accidere, ut pop. Rom. legem Serviliam acciperet. Immo hoc debebat indicare, nec populi imprudentiam nec suam negligentiam posse esse tantam, ut illa lex aciperetur: sed si tamen acciperetur, fore ut Pompeius potissimum Xvir fieret. Scripsimus igitur *acciperetis,* conservavimus *crearetis,* emendavimus *putaretis.*

omnium rerum quaeri, cum videatis eum, quem custodem vestrae libertatis fore videant, expertem fieri dignitatis?

26 Cognoscite nunc quae potestas Xviris et quanta detur. Primum lege curiata Xviros ornat. Iam hoc inauditum et plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus. Eam legem ab eo praetore populi Romani, qui sit primus factus, ferri iubet. At quo modo? Ut ii Xviratum habeant, quos plebs designaverit. Oblitus est nullos a plebe designari. Et is orbem terrarum constringit novis legibus, qui, quod in secundo capite scriptum est, non meminit in tertio? Atque hic perspicuum est, quid iuris a maioribus acceperitis, quid
XI ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur. Maiores de singulis magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis ma-

26. *plane novum, ut ei curiata.* — om. *populi Romani.*

26. *novo more.* Cum legem curiatam, de qua hic locus praecipuus est Ciceronis, in exitu huius editionis illustraverimus, superest, ut, quae praeterea commemoratione digna sunt, explicemus. Quod igitur maiore cod. auctoritate commendatur *novo more*, recte dici nemo negabit. Cum enim propter coniunctionem *ut* supplendum sit verbum aliquod, velut *fit, accidit,* ablativus iustissime locum suum tuebitur. Vereor etiam, ne Cicero, cum alia prope similia usurparit, *novum est ut* (nam hoc quidam ex deteriore codice praetulerunt) non dixerit; certe qui laudari solet locus in Verr. V, 6, 13 *Hoc vero novum et eius modi est, ut,* quia adiicitur *et eiusmodi,* ex dissimili genere videtur esse. Paulo post *nullis comitiis* ait, quia septendecim tantum tribus Xviros fecerant pariterque *plebem* appellandam esse negat, quae pars tantum plebis fuerit. — *praetore populi Romani.* Sumpsit haec ex ipsa lege Servilia ideoque sollemni nomine utitur. Infra enim § 28 *iubet enim qui primus sit praetor factus* sq. non legis ipsius verba citat. Itaque parum recte fecerunt, qui h. l. contra meliores cod. populi Rom. mentionem delerunt. *Primus* autem fit is de octo praetoribus, qui primus maiorem partem centuriarum fert. Neque enim in comitiis centuriatis, quibus praetores creabantur, centuriae perrogabantur perrogatisque iis demum, qui plurimas tulissent, renuntiabantur, sed ut quisque primus maiorem illarum partem tulerat, factis autem octo praetoribus reliquae centuriae non vocabantur. Ita Cicero de imp. Pomp. 1, 2 se gloriatur primum praetorem centuriis cunctis renuntiatum i. e. ita, ut nulla eum centuria non renuntiaret, dum maiorem partem tulisset. Cf. ad p. Mur. 8, 18. — *centuriata lex censoribus ferebatur.* Variis olim hic locus coniecturis vexabatur, vi ac natura legis curiatae intellecta vix quisquam dubitabit. Si enim in ceteris magistratibus patriciis moris fuit, ut ipsi qui facti essent, legem de imperio suo ferrent, idem in censoribus accidisse facile credemus, qui etsi imperio, quod proprie vocatur, carebant, auspicia tamen,

gistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur, ut esset reprehen-
dendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret. Nunc, Qui- 27
rites, prima illa comitia tenetis, centuriata et tributa, curiata
tantum auspiciorum causa remanserunt. Hic autem tribunus
plebis, quia videbat potestatem neminem iniussu populi aut plebis
posse habere, curiatis ea comitiis, quae vos non scistis, confir-
mavit: tributa, quae vestra erant, sustulit. Ita, cum maiores binis
comitiis voluerint vos de singulis magistratibus iudicare, hic homo

de eisdem. — **27.** *illa prima.* — *curiatis eam comitiis.* — *non initis, confirmavit.*

sed diversa ab consulibus habebant. Quare lege curiata, quae reliquis magistratibus ferebatur, cur non sint comprehensi perspicitur: aptissime etiam cum in comitiis centuriatis digerendis eorum potestas versaretur, eam iisdem centuriatis confirmari consuesse videmus. Nec tamen hic mos aliis praeter hunc locum scriptorum testimoniis cognoscitur.

27. *Nunc, Quirites.* Praeclaram hanc Baiteri coniecturam confirmat cod. 9 auctoritas. Nam quod reliqui habent *Nunc quia* ineptum est. Quis enim curiata comitia eam ob rem auspiciorum causa remanere dicat, quod centuriata et tributa a pop. Rom. teneantur? Sed hoc ipsum *tenere* comitia quid est? In potestate, opinor, habere, regere, sed etiam retinere, ut de div. I, 40, 89 *Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Ut enim sapere, sic divinare regale ducebant;* de leg. II, 16, 40 *cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, eas quae essent in more maiorum;* similiterque *morem tenere* (Tusc. V, 4, 11), *ius et libertatem tenere*, alia. — *auspiciorum causa.* Cave credas iis, qui supplent *conferendorum*, quasi comitiis curiatis illi magistratus auspicia consequantur. Hoc ait, nihil vere in comitiis illis agi, fieri tantum auspicia, eamque unam ob causam ea remansisse. — *posse habere* sq. Vitiosus hic locus videtur fuisse in eo, quod ad nostram aetatem pervenerat exemplo. Nam cod. 9, quem optimum esse cognovimus, omittit *habere.* Utrum igitur est probabilius? Excidisse verbum *habendi* recteque vel scriptum vel suppletum ab reliquis librariis an latere vitium? Etenim recta erit oratio, si scribes *potestatem nemini — plebis esse, curiatis* sq. Mihi hoc videtur. Cf. infra § 29. Sed vitiosa sunt etiam, quae deinceps codices exhibent *curiatis ea comitiis, quae vos non sinitis*, in quibus verbum *sinendi* qui recte explicaret, nondum vidimus. Nam si quis velit esse *quae* comitia *vos fieri non sinitis*, primum queramur infinitivum non addi, deinde quod vix verum est tradatur; siquidem et fiebant illa comitia, nec ulla lege, sed quod inania esse viderentur, negligebantur. Qui autem cum demonstrativo coniungat relativam sententiam, rursus iubendi verbum magis requirat. Itaque olim Lauredanus coniecit *curiatis eam comitiis, quae vos non initis*, quae coniectura auctoritate magis quam argumentis commendatur a Nic. Madvig. in Philolog. II p. 141. Nec sententia, quam effici vult, displiceat, sed displicet *ineundi* verbum. Dubito omnino, num Cicero dixerit *inire comitia*, sed si dixit, non minus quam in proelio, via,

popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem re-
28 liquit. Sed videte hominis religionem et diligentiam. Vidit et perspexit sine curiata lege Xviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti. Iubet ferre de his legem curiatam: praetori imperat. Quam id ipsum absurde, nihil ad me attinet. Iubet enim, *qui primus sit praetor factus, eum legem curiatam ferre: si is ferre non possit, qui postremus sit,* ut aut lusisse in tantis rebus aut prefecto nescio quid spectasse videatur. Verum hoc, quod est aut ita perversum ut ridiculum, aut ita malitiosum, ut obscurum sit, relinquamus: ad religionem hominis revertamur. Videt sine lege curiata nihil
29 agi per Xviros posse. Quid postea? Si ea lata non erit? Attendite ingenium. *Tum ii Xviri,* inquit, *eodem iure sint, quo qui optima lege.* Si hoc fieri potest, si sic in hac civitate, quae

28. *potestatem habere. — legem de his.* — 29. *potest, ut in hac.*

suffragiis, quae iniri dicuntur, incipiendi quaedam vis inest ab hoc loco alienissima. Quare maxime nobis probatur Pantagathi coniectura *scivistis* vel *scistis*, et mutatione lenissima et sententia certe bona. Rullus, quia videbat neminem iniussu populi potestatem habere posse, ea (nimirum Xviros), quae vos (tributis comitiis, quorum proprium est sciscere) non scistis, comitiis curiatis (quae etsi tantum auspiciorum causa retinentur, sine dubio tamen pro populi iussu sunt) confirmavit; nam tributa quae adhuc plebis propria erant, sustulit. Quamquam etiam quae sequuntur, in cod. mendosa sunt. Omnes enim habent *voluerunt*, optimus etiam *tum*, pro eo quod edidimus *cum*; sed quia nullum certum tempus, quo bina comitia valuerint, significatur, lenem mutationem iam ab Naugerio susceptam non pertimescendam esse putavimus, praesertim cum etiam *huius*, quod item omnes cod. tenent, certissima emendatione in *binis* Beroaldus olim mutarit.

28. *iubet ferre,* nimirum eum, quem oportet. Neque enim quivis potest ferre. Atque eam ob causam, quia certum hominum genus dicitur, infinitivum activi posuit, itemque infra § 29 *quid attinet curiatam legem ferre iubere.* — *quam id ipsum absurde.* Supple *faciat*, i. e. quam absurda ratione in imperando utatur. Neque enim hoc vituperare potest, praetori esse imperatum (nam qui ferebat et cui ferebatur, pari potestate esse oportebat), sed quod ex praetoribus primum et postremum elegit, quibus hoc imperaret. Quod tamen qua ratione ductus statuerit, in excursu diximus. Cicero quidem calumniatur id aut factum esse nulla ratione propter quandam Rulli perversitatem, aut si quid spectarit, si quid mali consequi voluerit, obscurum esse nec posse a se inveniri. Quae autem insequuntur: *qui primus sit praetor — qui postremus sit*, non ipsa legis esse verba, sed mutata ab Cicerone ipse coniunctivus ostendit.

29. *Quid postea?* Supple *dicit in lege sua.* Differret igitur, si solum *quid* legeretur. — *quo qui optima lege*, i. e. tum Xviri eodem iure sint, quod

longe iure libertatis ceteris civitatibus antecellit, imperium aut potestatem assequi possunt, quid attinet tertio capite legem curiatam ferre iubere, quoniam quarto permittas, ut sine lege curiata idem iuris habeant, quod haberent, si optima lege a populo essent

antecellit, quisquam nullis comitiis imperium. — assequi possit, quid. — iubere, cum quarto.

haberent, si optima lege curiata facti essent. Iniquius utque ambigue interpretatur paulo post Cicero *si optima lege a populo essent creati*, rursus exprobrandi causa adiiciens, ne tributis quidem comitiis eos factos esse. Diversum esset *quo qui optimo* i. e. *iure*. Ea enim formula Romani utuntur de eo, qui consuetam ac notam in republica potestatem accipit, velut Phil. V, 16, 45 *sit pro praetore eo iure quo qui optimo;* Phil. XI, 12, 30 *senatui placere C. Cassium pro cos. provinciam Syriam obtinere, ut qui optimo iure eam provinciam obtinuerit;* Liv. IX, 34 *ut qui optimo iure rex Romae creatus sit.* Sed Xvirum cum nova et ignota ante esset potestas, ineptum erat iubere eo iure eos esse quo qui essent optimo. Necessario igitur dicitur *optima lege*, item usitata formula.• Vide Festum p. 189, Gell. I, 12, 14. — *si hoc fieri potest, si sic* sq. Difficillimus est locus, quem cum vitiosum malaque librariorum sedulitate corruptum esse intellexissemus, prout facere possemus, emendandum esse putavimus. Etenim adhuc haec legebantur: *Si hoc fieri potest, ut in hac civitate, quae — antecellit, quisquam nullis comitiis imperium aut potestatem assequi possit:* in quibus miror interpretibus non fuisse offensioni orationem. Quis enim vel Latine vel alia aliqua lingua dicat: *si fieri potest, ut — assequi possit?* Legemus nos quidem infra § 34 insignia quaedam magnae verborum redundantiae exempla *colonias deducere — ut liceat permittitur, vagari ut liceat conceditur,* quibus Cicero non sine certa causa ad adumbrandam Xvirum licentiam usus videtur esse, nota item sunt illa, cum dicendi existimandique verba ad orationem quasi amplificandam cumulantur (cf. doctam disputationem H. Chr. Fr. Gebhardt. in observat. crit. in has orationes de leg. agr. I p. 9), sed quis eodem verbo bis Ciceronem usum esse inveniat, non simili tantum, quod sententiam dum cumulat, etiam mutet, vel quis, si hoc quoque aliquando factum esse putet, verbum *posse*, quod levioris significationis est, bis repeti arbitretur? Accedit quod ipsa sententia parum est commoda. Cur enim illa *nulla comitia*, quae iam § 26 commemorata sunt, rursus afferuntur? Certe *curiatis* addi oportebat: de his enim agitur, haec si deesse liceret, caput tertium legis inutile esse ait. Quae cum videremus, advertit nos cod. Lag. 9 praestantia tria illa verba *quisquam nullis comitiis* omittentis. Quibus omissis vitiosam fieri orationem apparebat: quam cum restituere cuperent reliquorum codicum auctores, facili illa eademque proclivi ratione usi sunt, ut pauca verba insererent. Nos vero quae in cod. 9 omitterentur fere recte omitti cum videremus multaque per hanc orationem temere a librariis esse adiecta, aliam emendandi viam ingressi primum curavimus, ne duae illae sententiae, in quibus verbum *posse* est, aptae inter se essent, sed ex aequo iuxta collocarentur. De qua re ipsi codices significabant, quorum alii *assequi possent,* alii *assequi posset* vel *possit* habent: unde

creati? Reges constituuntur, non Xviri, Quirites: itaque ab his initiis fundamentisque nascitur, ut non modo cum gerere coeperint, sed etiam cum constituentur, omne nostrum ius, potestas
XII, 30 libertasque tollatur. At videte, quam diligenter retineat ius tribuniciae potestatis. Consulibus legem curiatam ferentibus a tribunis plebis saepe est intercessum. Neque tamen nos id querimur, esse hanc tribunorum plebis potestatem: tantummodo, si quis ea potestate est usus, existimemus. Hic tribunus plebis legi

initiis [fundamentisque] nascuntur, ut. — omne vestrum ius. — 30: potestate temere est. — existimamus.

cum hoc verbum in ἀρχετύπῳ parum commode legi potuisse coniiceremus, facile emendatum est *possunt*, nimirum *Xviri*, qui iidem intelligendi sunt paulo post, ubi est *habeant* et *haberent*. Supererat particula *ut*, ex qua fecimus *si sic*, levi saue mutatione, quoniam *c* et *t* sescenties iu vetusto codice commutatae sunt, reliquaeque litterae facile vel omittuntur vel confunduntur. Sententia quidem iam adeo est aperta, ut nihil addi opus sit. Sed paulo post offendebat quosdam interpretes *quoniam* cum coniunctivo iunctum. Quem cave ex couiunctione aptum esse putes: pendet ex sententia obliqua, uon aliter ac supra § 28 *quoniam — essent constituti. — ab his initiis fundamentisque nascitur* i. e. sequetur, efficietur ex his. Rullum ait eiusque socios, postquam Xviris sine plebe constituendis quasi initia fecerunt fundamentaque posuerunt, eo progressuros, ut libertatem tollaut. Cf. de fin. III, 19, 63 *Ex hoc nascitur etiam, ut communis hominum inter homines naturalis sit commendatio.* Haud paulo hoc verius est quam quod olim edebatur *itaque ab his initiis nascuntur*, quasi ex potestate demum, quam mox explicaturus est Xvirum, non ex ipsa constituendi ratione libertatis interitus prodeat. Paulo post ex consensu prope codicum edidimus *nostrum ius*, uon *vestrum*. Diligenter enim Cicero facit, ut quae incommoda et iniucunda sunt, secum communicet, non soli plebi tribuat.

30. *nos id querimur.* Et se ipsum intelligit, qui consul est, et senatum universum, qui fere adiuvare solet consules. Paulo post olim sic edebatur: *si quis ea potestate temere est usus, existimamus,* quae explicari non potuisse non miramur extiteruntque quaedam coniecturae, *exagitamus* vel *exaestuamus*, nec sententia nec verbis aptae. Subvenit nunc cod. 9, in quo *temere* abest et coni. *existimemus* legitur. Iam omnia aperta sunt. Nam existimare est iudicare, velut de leg. I, 2, 7 *scriptores, qui — nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus;* p. Cael. 1, 2 *si existimare vere de omni hac causa volueritis* ac saepe similiter cum adverbiis coniungitur. Proprium autem videtur esse consulis existimare adversus tribunos plebis; nihil enim aliud facere potest, quam ut aut agat cum iis aut si tamen perstent, censeat ac senatusconsultum faciat contra remp. id fieri. Indicativus *existimamus* item posset ferri, sed nec codicem 9 in una re sequi, in altera deserere placebat et coniunctivus quid Cicero, si quis intercedat, facturus sit significat. Verun-

curiatae, quam praetor ferat, adimit intercedendi potestatem. Atque hoc cum in eo reprehendendum est, quod per tribunum plebis tribunicia potestas minuitur, tum in eo deridendum, quod consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: huic, cui vetat intercedere, potestatem, etiamsi intercessum sit, tamen eandem constituit quam si lata esset lex, ut non intelligam, quare aut hic vetet intercedere aut quemquam intercessurum putet, cum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura.

Sint igitur Xviri neque veris comitiis, hoc est, populi suf- 31
fragiis, neque illis ad speciem atque usurpationem vetustatis per XXX lictores auspiciorum causa adumbratis constituti. Videte nunc eos, qui a vobis nihil potestatis acceperunt, quanto maioribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis. Iubet auspicia coloniarum deducendarum causa Xviros habere, pullarios. *Eodem iure*, in-

lege curiata. — *intercedi.* — 31. *atque ad usurpationem.* — *acceperint.* — *iubet [auspicia] coloniarum.*

tamen paulo post ex Lauredani coniectura *legi curiatae* scripsimus. Frustra enim Ernestius abl. *lege curiata*, qui in codicibus est, defendit, quasi ratione legis curiatae ferendae intercessio tollatur. Ipsa lex curiata uno semper eodemque modo fertur, intercessio expressis verbis legis Serviliae tollebatur. Similiterque peccaruut codices infra, ubi habent *intercedendi potestatem*, cum nos P. Manutium secuti edidimus *intercedere*. Id vel nolentes mutaruut librarii vel quod vetandi verbum quomodo iunctum esset, non intelligebant. — *in eo* i. e. in ea re, propter eam causam. Iniuste autem per totum hunc locum vituperari Rullum ab Cicerone in excursu exposuimus.

31. *atque usurpationem vetustatis* i. e. ad morem, qui diutissime a maioribus observatus est, retinendum. Nam *vetustas* dicitur, quae iam diu est consuetudo, *usurpare* autem i. q. utendo retinere ac conservare. Paulo post scripsimus auctoritatis causa *acceperunt*, ut simpliciter narret; alioquin ferri poterat etiam *acceperint*, in quo quoddam oppositionis acumen inest: quamvis nihil acceperint, quantis tamen ornamentis afficiantur. At infra *quod dissimillima ratione factum sit* oportet esse coniunctivum; nam in eo ipso Rulli iniquitas sita est, quod quae dissimilia esse videt, iis idem ius tribuit. Nam ut quae dissimilia sunt, pari loco habeas, errore etiam et veri ignoratione potest accidere. — *auspicia deducendarum coloniarum causa* — *habere, pullarios.* Immerito in his, quae consensu codicum traduntur, haeserunt editores: quorum alii eiecerunt *auspicia*, et nimis Xviralem potestatem minuentes et in re ipsa peccantes. Nam quis unquam apud Romanos habebat pullarios, quin idem haberet auspicia? Nec consulto Ciceronem minus magnifice de Xviris dixisse probabile est. Alii *pullarios* delerunt non magis recte, quia cum § 32 commemorentur, eorum mentionem antecedere oportet.

quit, *quo habuerunt IIIviri lege Sempronia.* Audes etiam, Rulle, mentionem facere legis Semproniae? nec te ea lex ipsa commonet IIIviros illos XXXV tribuum suffragio esse creatos? Et, cum tu a Ti. Gracchi aequitate ac pudore longissime remotus sis, id, quod dissimillima ratione factum sit, eodem iure putas
XIII, 32 esse oportere? Dat praeterea potestatem, verbo praetoriam, re vera regiam: definit in quinquennium, facit sempiternam; tantis enim confirmat opibus et copiis, ut invitis eripi nullo modo possit.

ipsa lex. — creatos esse.

Alii praeeunte Naugerio scripserunt *auspicii col. ded. causa*, iungentes *auspicium coloniarum deducendarum*, in quo et singularis *auspicium* et genitivus ei adiectus displicet. Melius Graevius *ad auspicia coloniarum deducendarum*, omittens *causa*, sed ibi quoque genitivus vix possit probari. Nos quidem tuemur quod codices habent, pullariosque addi censemus ἀσυνδέτως. Cf. supra ad § 11. Auspicia igitur habebant Xviri, sed non eadem, quae consules aut praetores, sed ea tantum, quae ad colonias deducendas opus erant; quare ut supra § 27 comitia curiata auspiciorum causa, i. e. ut auspicia fierent, remansisse ait, ita hic auspicia habere Xviros, ut coloniae recte deducerentur. De ipso auspiciorum genere, quod daret, nihil in lege sua praeceperat Rullus, sed ius olim a Graccho constitutum secutus erat.

32. *verbo praetoriam.* Iussit igitur Rullus Xviros esse pro praetoribus, ut idem ius haberent quod praetores. Neque id Cicero si vere iudicare vellet, vituperare poterat. Nam omnes curatores agrarios hoc iure fuisse arbitror; de ceteris suspicamur tantum, sed XXviros, quos C. Caesar in consulatu agrorum dividendorum causa constituit, praetorii iuris fuisse eosque, qui iam praetoriae dignitatis essent, factos esse constat. Neque illud reprehendi poterat, quod *in quinquennium* potestatem dabat. Nam, ut consules, praetores, reliqui ordinarii magistratus fiunt annui, ita curatores saepe solebant plus quam annui spatii creari. Quamquam Gracchorum IIIviros annuos fuisse novimus. — *Deinde ornat* sq. Quattuor genera commemorat, quibus Xviri ornati sint. Nam hoc *ornandi* verbum proprium est de rebus necessariis, quae magistratibus, sive ii intra urbem futuri sunt sive extra profecturi, praebentur. Ac consulibus quidem, praetoribus, reliquis ordinariis magistratibus quantum ex quoque genere debeatur, vetere sive more sive lege constat: qui autem provincias sortiti sunt, ii a senatu solent ornari, itemque qui extraordinariam aliquam curationem acceperunt. Quare Ti. Gracchus olim postquam IIIviros agris dividendis constituit, cum senatum adisset ornarique eos voluisset, nihil impetrarat. Optimates enim tantum senos in diem sestertios concesserant (Plut. Ti. Gracch. 13). Itaque qui deinceps leges agrarias scripserunt, in ipsis legibus quanta curatoribus ornatio danda esset, ascribere senatusque iudicium occupare solebant, eumque morem tanto facilius Rullus imitatus est, quod tunc cum in aliis tum in Cn. Pompeio ornando plebs, quod alioquin senatus fuerat, sibi sumpsit. Primum autem genus eorum, quae Xviris dantur,

Deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis: praeterea mulis, tabernaculis, servitiis, supellectili: sum-

32. *tabernaculis, [centuriis], supellectili.*

ex ministris eorum constat: nominantur *apparitores*, quae vox generalis illa quidem est, ut saepe etiam scribas, praecones omnesque qui magistratibus apparent, comprehendat, sed hoc loco cum accensos, interpretes, haruspices, tum *lictores* significat, qui exeunte hac § denuo commemorantur, tum *scribae* et *librarii*, ita inter se diversi, ut illi et paulo honestius munus habeant et, quod nomen ipsum indicat, scribendo imprimis operam dent, hi libris conservandis ac digerendis, tum *praecones*, quibus ad auctiones faciendas opus est, denique *architecti*, i. e. non modo, qui aedificiorum extruendorum periti erant (nam hoc quoque in novis colonils condendis opus erat), sed etiam qui agri metiendi, qui proprie agri mensores appellantur. Horum omnium illud commune est, quod cives Romani sunt, sed multi tamen libertini, ut opinor. Qui cum lege dantur Xviris, numerus quot ex quoque genere Xvirum habere oporteat, definitur: eligunt quidem ipsi Xviri electorumque nomina ad aerarium deferunt, ex quo iis mercedis et cibariorum quantum quique accipere solent, attribuitur. (Frontin. de aquaed. 100). Alterum genus est earum rerum, quae Xviris ad itinera facienda et ad domum instruendam opus sunt. Quae cum in lege accurate definitae essent, ita dabantur, ut a quaestoribus aerarii locarentur mancipique numeraretur. Certe *mulos* et *tabernacula* ita olim praeberi consuesse narrat Suet. Aug. 36. Sed quod tertio loco in omnibus codicibus est *centuriis*, fuerunt illi quidem, qui de centuriis fabrum intelligerent, sed plerique nec fabros Xviris datos esse nec si darentur, h. l. inter supellectilem commemorari debuisse viderunt. Quare alii alia coniecerunt, quae viris doctis parum probarentur; Pantagathi quidem coniectura *canteriis* (i. e. equis castratis, ad vehendum aptis) ita placuit, ut vera tamen non videretur esse; nam si illud singulare equorum genus commemorare vellet, quod ipsum parum est probabile, proxime post mulos collocare debuit. Quare nos coniecimus *servitiis*, i. e. servis in iustam familiae formam compositis, ut alius esset coquus, alius a cubiculo, alius medicus, alii ab aliis rebus. Etenim qui in quaque domo essent servi, communiter Latine servitium appellatur; quare cum decem hic domus instrui oporteret, decem opus erat servitiis. At enim servos magistratibus a populo praeberi non consuesse collegerunt ex Cic. in Verr. IV, 5, 9. Quo loco Cicero hoc videtur dicere, vestem et argentum, quae proconsuli de publico darentur, ita facta eius esse propria, ut etiam post provinciam retineret, servos, qui de publico praeberentur, in provincia mansisse communesque fuisse omnium proconsulum. Nam usos esse cum reliquos proconsules, tum Siciliae propraetores servis publicis constat. His autem Xviris, qui non in provinciam domo servisque instructam irent, sed et in Italia et in aliis provinciis sine certa sede essent vagaturi, certe servis publicis opus erat conficitque rem curatoris aquarum exemplum, cui Frontin. c. 100 suo tempore tres servos publicos dari scribit. *Supellectilem* denique intellige argentum, vestem stragulam, alia. Notanda autem haec ablativi forma, quae etiam infra § 38 videtur esse certa. At in Verr. II, 14, 35 et

ptum haurit ex aerario, suppeditat a sociis: tum finitores ex equestri loco ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit, eosdem ministros et satellites potestatis.

Formam adhuc habetis, Quirites, et speciem ipsam tyrannorum: insignia videtis potestatis, nondum ipsam potestatem. Dixerit enim fortasse quispiam: Quid me ista laedunt, scriba, lictor, praeco, pullarius? Omnia sunt haec huiusmodi, Quirites,
33 ut ea qui habeat sine vestris suffragiis, aut rex non ferendus aut privatus furiosus esse videatur. Perspicite quanta potestas permittatur: non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum esse dicetis. Primum permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniae conficiendae de vestris vectigalibus non fruendis, sed

om.. tum.

IV, 44, 97 est *supellectile*, atque utramque formam usurpari Charisius p. 83 videtur significare. Tertium genus eorum, quae Xviris dantur, pecunia et victu continetur: illius certam summam praebet aerarium, nec eam nimis magnam fuisse in lege ex ipso Ciceronis silentio debebimus colligere. Sociis, opinor, hoc imperabatur, ut Xviros in provinciis versantes alerent; eo enim quae infra sunt, videntur pertinere. Quartum denique genus scribitur nunc *finitorum*. Nam codices habent *ianitores*, quod ridiculum est, unus cod. 9 *iam lictores*, quod etsi non magis probari potest, significat tamen verbum in illo principe codice parum fuisse clarum ueque ad legendum facile. Neque incommode quispiam ex illa discrepantia coniecerit addendam esse particulam aliquam, ut *tum finitores*, qua particula male confusa illud *ianitorum* prodigium extiterit. Nam *finitores* esse oportere ex § 45 et 53 intelligitur. Qui autem finitores fuerint, aliunde parum cognoscimus; nam Plautus Poen. 49 nihil ostendit nisi usurpatam eam vocem esse in re agraria atque ita Nonii p. 11 de ea voce nota est accipienda. Sed Cicero ipse equestris dignitatis esse ait, tum *delectam finitorum iuventutem* appellat et *formosos;* idem addidit in annos singulos Xviris datos esse ducentos. Quid igitur hinc colligemus? Primum diversos esse agrimensores, quorum ars in dimetiendis agris versatur, quos sub architectorum nomine latere diximus, tum finitores fuisse adolescentes nobiles nondum senatoriae aetatis, qui in contubernio Xvirum stipendia mereri vellent. Cohortem eorum efficiunt usumque varium habent in Xviris adiuvandis. Ut praefecti tribunique eorum, qui provincias regunt, cohortem consiliumque efficiunt, ita finitores Xvirum nomenque ab eo negotio, quod Xviri administrant, est impositum. Nec numerus eorum nimis magnus est; vicenos enim habent singuli Xviri, quod ut significaret, Ciceronem consulto cardinali usum esse arbitror.

33. *intolerantiam regum*, passiva significatione; respondet enim quod praecedit *rex non ferendus*. Sic p. Cluent. 40, 112 *Quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset?* Suet. Tib. 51 *acerbitas et intolerantia morum*. *Tolerantia* quidem active tantum dicitur. — *non fruendis*,

alienandis: deinde orbis terrarum gentiumque omnium datur cognitio, poena sine provocatione, animadversio sine auxilio. Iudi- 34
care per quinquennium vel de consulibus vel de ipsis tribunis plebis poterunt: de illis interea nemo iudicabit. Magistratus his petere licebit: causam dicere non licebit. Emere agros a quibus

33. *cognitio sine consilio, poena.* — 34. *iis petere.*

sed alienandis, i. e. permittitur Xviris non tantum reditibus annuis vectigalium uti, sed ipsa vectigalia vendere, unde ingens pecunia conficitur. *Alienare* igitur est vendere, ut in Verr. IV, 60, 134 *civitatem pretio parvo ea, quae accepisset a maioribus, vendidisse atque alienasse* sive *abalienasse*. Quamquam proprie hoc interest, ut alienatum sit, quod non tantum venierit, sed iam etiam alteri traditum sit (Ulp. Dig. L, 16, 67). Cf. infra § 54. — *orbis terrarum — cognitio.* Dicimus *cognoscere rem* inquisitione habita qualis ea sit reperire, sed *cognoscere de re* iudicare et sententiam dicere. *Orbem* quidem terrarum cognoscere et de orbe cognoscere quantopere inter se differant facile sentimus. Substantivum tamen cum genitivo utraque ratione coniungitur, velut ad Att. XVI, 16, 11 *lex earum rerum, quas Caesar statuisset — consulibus cognitionem dedit* similiterque paulo infra est *cum iudicio rerum omnium.* Inepte autem codices omnes praeter unum Lag. 9 scribunt *cognitio sine consilio.* Quasi quisquam magistratus unquam lege aut vetitus aut iussus sit cum consilio cognoscere! In more illud erat, ut de consilii sententia magistratus cognoscerent nec modo ex cohorte, sed etiam alios, quos vellent, in consilium adhiberent. Finitores autem illi, quos diximus, consilium Xvirum efficiebant. Quare ascripsit illa verba temere, qui cognitionem pariter ac poenam et animadversionem exornari cuperet. Quamquam invidiose sane Cicero h. l. potestatem Xvirum auget. Primum enim *poenam* appellat, si cui agrum adimerent, i. e. si quem quis agrum haberet, publicum populi Rom. esse iudicarent (atque etiam § 34 ait *agris multare*), additque *sine provocatione*, quia, cum Xviri singuli per singulas imperii partes rem gererent, nec superiore nec pari potestate magistratum appellare licebat. Deinde acerbo vocabulo *animadversionem* dicit, si quis, qui adimentibus Xviris parere nollet, vi depelleretur; nam si etiam alia coercitio iis data esset, quantos clamores Cicero excitasset! Depulsis autem non licebat *auxilium* tribunorum plebis implorare, quia extra urbem et inter peregrinos fere res agebatur.

34. *iudicare — vel de consulibus vel de — tribunis.* Quomodo de his magistratibus iudicare poterunt? Si ii, opinor, agrum, qui publicus esse videatur, in privata possessione habebunt, vel etiam si consules provinciam accipient, in qua Xviri cum summa potestate versabuntur. Ipsi autem si quem agrum possidebunt, nemo poterit iudicare, nec magis reliquis magistratibus in iudicia de agro publico facienda se inserere licebit. — *petere licebit.* Magis hoc proprie dicitur, quam quod olim contra codicum auctoritatem edebatur *gerere licebit.* Sic enim apud Romanos moris erat, ut quos non liceret magistratum capere, eorum nomen qui comitiis praeerat, recipere ac renuntiare vetaretur, ut a petendo, non a gerendo prohiberentur. Cum acerba autem

volent vel quos volent quam volent magno poterunt: colonias deducere novas, renovare veteres, totam Italiam suis coloniis ut complere liceat, permittitur: omnes provincias obeundi, liberos populos agris multandi, regnorum adimendorum summa potestas datur: cum velint, Romae esse, cum commodum sit, quacunque velint summo cum imperio iudicioque rerum omnium vagari ut liceat, conceditur. Interea dissolvant iudicia publica: de consi-

volent et quos. — suis colonis. — regnorum dandorum summa. — datur, cum velint; Romae esse.

dissimulatione subiungit *causam dicere non licebit*, quasi hoc optandum fuerit Xviris, ut iudicio habito integre se magistratu functos esse demonstrarent. Sed quia more Romano quamdiu quisque magistratum gerit, in iudicium vocari non potest, Xviris intra quinquennium illud innocentiam suam probare non licebat. — *vel quos volent.* Verius hoc videtur quam quod nunc ex minoris auctoritatis codice edi solet *et quos volent.* Neque enim in lege erat, ut Xviri a quibus vellent, agros emerent, sed ut quos vellent agros emerent. Quare Cicero cum cumulandi causa dixisset *a quibus volent*, corrigens quasi se ipse (atque eam propriam coni. *vel* vim esse constat) addit *vel quos volent.* Paulo post cur contra omnium meliorum codicum consensum cuiquam placere debeat *suis colonis*, non videmus. Quamvis enim Rullus non tota oppida colonis compleret, sed eos tantum agros, quos emisset, occuparet, solebant tamen plures in eundem locum deduci, qui cum uno ex genere essent, intra oppida peculiarem aliquam ac suam coloniam efficiebant. Suadebat id cum potentiae studium (nam qui a Rullo deducti erant, eundem erant adiuturi) tum haec utilitas, ne recens deducti coloni inopia necessariorum rursus dilaberentur, dictatoremque Caesarem, qui ipsa hac, quam Rullus ferebat, ratione colonos deduxit, colonias tales condidisse scimus. — *regnorum adimendorum.* Quod vitium in omnibus codicibus est *regnorum vel dandorum*, parum recte emendarunt editores aut sublata coniunctione *vel* aut addito *vel adimendorum.* Quis enim putat Xviris hanc potestatem esse concessam, ut regna liceret dare? Immo hanc unam ob causam tantum permittebatur, ut agros dividerent plebi. Quare concedi poterat, ut adimerent regna, i. e. ut regna quaedam populi Romani facta esse iudicarent iisque venditis agros ad deducendam plebem compararent; ut nova regna conderent, concedi non poterat. Nec liberos populos dicit nisi agris posse *multari*, non addit posse etiam donari. Respicit autem oratio ad regna Aegypti et Bithyniae. Quod autem huic sententiae subiungi solebat ab omnibus editoribus *cum velint*, nos ad ea, quae insequuntur, retulimus. Nam potestas datur volentibus et nolentibus pariter, insequens autem sententia tamen nihil, quod redundet, habet. Cum volunt, Xviris licet Romae esse, cum volunt (nam hoc est *cum commodum est*), extra vagari et quidem quacunque volunt. — *dissolvant iudicia publica* sq. Nimirum quia lex ad Xviros referri iubet, quicquid ab imperatoribus pop. Romani praedae ac manubiarum partum erat, omne de his imperatoribus iudicium ad Xviros transibat tollebaturque imprimis repetundarum

liis abducant quos velint: singuli de maximis rebus iudicent: quaestori permittant: finitorem mittant: ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renuntiaverit. Verbum mihi deest, 35, XIV
Quirites, cum ego hanc potestatem regiam appello, sed profecto maior est quaedam. Nullum enim regnum fuit unquam, quod non, si minus iure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. Hoc vero infinitum est, quo et regna omnia et imperium

e consiliis. — 35. *non se, si minus.* — *contineret.* — *vestrum imperium.*

iudicium, quod de provinciarum rectoribus constitutum erat. Cf. infra § 59. Quid autem est *de consiliis abducant?* Consilia sunt et Romae eorum qui in quaestionibus perpetuis indicant et extra Romam eorum, qui cum propraetoribus et proconsulibus sunt. Ex quibus abducitur, qui in iudicium de agro publico, quem possideat, arcessitur. Neque enim, si tanta Xviris potestas daretur, quisquam ex magistratibus aut ex indicibus poterat excipi, quem non, si agrum publicum possideret, appellare atque in iudicium vocare liceret. Sic igitur hoc explicari potest; sed etiam hoc cogitare licet, tanti habita esse Xvirum iudicia, ut iis permitteretur de consiliis ceterorum magistratuum eos abducere, quos ipsi in consilium adhibere vellent. Similiter certe in Senatusconsulto legitur apud Cic. ad Att. VIII, 8, 5. Turnebo vero, qui reos de consiliis abductos esse interpretatur, non credo; quis enim reos in consiliis fuisse dicat? Tum quod ait *singuli — iudicent*, noli hoc referre, quod Xviri sine consilio potuerint iudicare, quae eiusdem fuit Turnebi et ab verbis aliena et cum more discrepans sententia, sed illuc potius, ut singuli ex Xviris potuerint indicare. Non ita indicabant, ut quod pluribus ex suo numero placuisset, ratum esset; sed partito inter se imperio Romano singuli de ea quae cuique obtigisset regione statuebant. Eodemque pertinet, quod paulo post finitor dicitur *uni illi, a quo missus est, renuntiare.* Nec credo Turnebo quod sequitur *quaestori permittant* eo pertinere, quod Xviri quaestori suo cognitionem detulerint. Neque enim usquam quaestores datos esse Xviris scribit, sed si quid publicum esse iudicasseut, id in publicum redigebatur atque in eius qui aerario praeerat quaestoris potestatem veniebat.

35. *verbum mihi deest* i. e. verbum verum ac proprium. Regni igitur verbum Xvirum potestati non convenire ait. Plus dicit, quam si scriberetur *verbum mihi non deest*, quae coniectura parum probabilis fuit H. Chr. Fr. Gebhardt. obs. crit. II p. 5. — *si minus iure aliquo.* Nam apud plerosque populos in antiquitate regia potestas nullo iure i. e. nullis legibus, nullo senatu similive nobilium consilio coercebatur, quae tamen potestas ipsius populi finibus continebatur. At Xviris (nam *hoc* i. e. quasi Xvirum regnum *infinitum* esse ait) quoniam non tantum quae publica pop. Romani esse constabat, verum etiam cognitio, utrum quid esset publicum necne tradita erat, licebat et regna omnia, quae etsi constarent, tamen in amicitiam recepta ex iudicio pop. Rom. pendebant (maxime autem Bithyniam et Aegyptum dicit) convellere et liberos populos, qui intra imperium Romanum suis legibus vivebant nec tri-

vestrum, quod latissime patet, et ea, quae partim libera a vobis, partim etiam ignorata vobis sunt, permissu legis continentur.

Datur igitur eis primum, ut eis liceat vendere omnia, de quibus vendendis senatus consulta facta sunt M. Tullio Cn. Cor-
36 nelio consulibus, postea. Cur hoc tam est obscurum atque caecum? Quid? ista omnia, de quibus senatus censuit, nominatim in lege perscribi nonne potuerunt? Duae sunt huius obscuritatis causae, Quirites: una pudoris, si quis pudor esse potest in tam insigni impudentia, altera sceleris. Nam neque ea, quae senatus nominatim vendenda censuit, audet appellare: sunt enim loca publica urbis, sunt sacella, quae post restitutam tribuniciam po-

ut liceat ea vendere. — consulibus aut postea. — 36. est tam.

butum solvebant, in servitutem redigere: poterant adeo etiam externis populis bellum inferre, si eos parere oportere Romanis indicarent. Ac indicat certe ita Cicero, qui eos *ignoratos* a Romanis dicit, i. e. quasi dissimulatos, interim praetermissos. — *ut eis liceat.* De industria pronomen videtur repetere, quod ea verba in ipsa lege fuerunt. Sed M. Tullius Decula et Cn. Cornelius Dolabella cos. fuerunt anno 81, cum P. Sulla remp. in potestatem suam redegisset et aerarium a Marianis exhaustum ad remunerandos Sullae milites rebus omnibus egeret. Nec tamen illis tantum consulibus venire iussit senatus agros publicos; nam senatusconsulta plurali numero appellat et § 37 eos *qui per eos annos consules fuerunt.* Quare additum in lege erat *postea*, omissa, ut in legibus fit, copula. Nam ubi sua oratione utatur, Ciceronem eam non omittere ostendit § 39 *L. Sulla Q. Pompeio cos. aut postea.* Sed hoc loco eam contra omnium codicum auctoritatem inserere inutile est.

36. *caecum* non solum apud poetas, verum etiam apud Ciceronem dicitur quod latet, velut de orat. II, 87 dicit *res caecas et ab aspectus iudicio remotas.* — *una pudoris*, quam explicat deinde hac paragrapho, altera sceleris causa sita erat in senatus consultis ementiendis. Voluerat autem Cicero utramque causam una sententia persequi. Incipit enim sic *Nam neque ea*, ut alterum *neque* sequi oporteat, sed non sequitur immutataque oratione post longiorem de pudore disputationem ad scelus pervenit, ubi est *Verum haec fortasse.* — *loca publica urbis*, i. e. fora, luci diis sacri, areae domibus vacuae, agger Servii Tulli, qui totus paulatim aedificiis completus est, alia eius generis. Ea ait neminem attigisse, i. e. vendere voluisse, *post restitutam tribuniciam potestatem*, postquam Cn. Pompeius anno 70 tribuniciam potestatem a L. Sulla anno 82 imminutam ad veterem potentiam reduxit. Proximis igitur septem annis neminem ait de his, quae in urbe ipsa erant publica, vel vendendis vel dividendis cogitasse. Olim multa ex eo genere divisa erant; cum ab antiquioribus tum ab Gracchis. — *partim periculi perfugia*, i. e. quorum partem sive nonnulla. Sic enim simplex *partim* in definiendo usurpatur, velut de div. II, 9 (Caesar) *a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis trucidatus*, in Verr. II, 65 *ut eius in provincia statuae, in locis pu-*

testatem nemo attigit, quae maiores in urbe partim periculi perfugia esse voluerunt. Haec lege tribunicia Xviri vendent. Accedit eo mons Gaurus: accedunt salicta ad Minturnas: adiungetur etiam illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum et magnae pecuniae: permulta alia, quae senatus propter angustias aerarii vendenda censuit, consules propter invidiam non vendiderunt. Verum haec fortasse propter pudorem in lege reticentur. 37
Sed illud magis est credendum et pertimescendum, quod audaciae Xvirali corrumpendarum tabularum publicarum fingendorumque

accedet. — accedent.

blicis positae, partim etiam in aedibus sacris — deiicerentur. Sed periculi perfugia dicit ea, quae proprie asyla nominantur, in quae homines confugiebant, quibus periculum maxime ab iudice immineret. Quamquam invidiae concitandae causa Cicero hoc asylorum ius videtur angere. Graecus enim erat mos, a Romanis nunquam satis receptus, atque ipsum illud, quod Romulum in monte Capitolino eo loco, quod Intermontium dicitur, aperuisse narrant (Liv. I, 8), alio ex genere fuit. Sed habebant tamen multa templa magnam sanctitatem quandam, in quae tenniores maxime homines si confugissent, moram certe periculi afferebant. — *mons Gaurus*, hodie Barbaro, super Cumas, olim vino nobilis, hodie sterilis. *Salicta ad Minturnas* ab nullo alio commemorantur, sed probabilo est fuisse inter Lirim amnem et mare, quo loco paludes Minturnenses, C. Marii calamitate nobiles, fuerunt. Ipsae Minturnae vetus colonia civium erat, deducta anno 296 a. Chr. *Via Herculanea* quae sit ignoratur. Neque enim credo esse illum octo stadiorum aggerem, quo Lucrinus lacus a mari olim seiungebatur, quem Strabo V, 4, 6 ab Hercule factum esse ait. Ea Herculea via diceretur, Herculanea dici non poterat; nec quo pacto *vendibilis* i. e. ad aedificandum apta esse potuerit intelligo; siquidem unius tantum currus orbitam commode cepisse dicitur. Potius igitur cum verbum ab Herculaneo oppido ducatur, credo dici viam aliquam inter Neapolim et Herculaneum. Scripsimus autem codicum auctoritatem secuti *accedit* et *accedunt*, nimirum in senatusconsultis, sed *adiungetur*, nimirum a Xviris; nam ab codicibus recedere, cum senatusconsulta ignoremus, vix tutum est.

37. *magis est credendum.* Immerito in hoc verbo multi interpretes offenderunt; opponitur enim ei quod antecedit *fortasse reticentur*, i. e. fortasse credimus reticeri; sed illud longe credibilius, quod item pertimescendum est. — *corrumpendarum tabularum publicarum.* Senatusconsulta in aeneis tabulis inscribebantur, quas ait vel facile posse corrigi vel novas adeo fingi, propterea quod pauci testes superessent. Etenim qui in scribendis Sconsultis adesse solebant ex senatoribus, eam ab causam aderant, ut ipsum illud, quod decretum esset, scriberetur, sed numquod Sconsultum factum esset, quoniam senatus modo frequens modo infrequens esset nec quemquam omnino adesse utique necesse esset, praeter consules, qui praesidebant, nemo fere testari

senatus consultorum, quae facta nunquam sunt, cum ex eo numero, qui per eos annos consules fuerunt, multi mortui sint, magna potestas permittitur. Nisi forte nihil est aequum vos de eorum audacia suspicari, quorum cupiditati nimium angustus orbis terrarum esse videatur.

XV, 38 Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo: sed attendite animos ad ea, quae consequuntur: hunc quasi gradum quendam atque aditum ad cetera iactum intelligetis. *Qui agri, quae loca, aedificia.* Quid est praeterea? multa in manicipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectili,

37. *nunquam facta. — permittitur potestas. — aequum nos de.*

poterat. Sed num verum est, multos ex illorum annorum consulibus tunc fuisse mortuos? Qui exeunte anno 63 vixerint, cognoscimus ex Cic. ad Att. XII, 21, cum ii consulares, qui contra L. Catilinam severe statuerunt, enumerantur. Decesserant igitur anni 81 consules M. Tullius Decula Cn. Cornelius Dolabella, anni 80 L. Sulla dictator, alter Q. Caecilius Metellus Pius vivebat, sed ita aegrotabat, ut medio anno moreretur (nam in pontificatu maximo ei successit C. Caesar), anni 79 decesserat App. Claudius Pulcher, vivebat P. Servilius Vatia, anni 78 decesserat M. Aemilius Lepidus, vivebat Q. Lutatius Catulus, anni 77 decesserat uterque D. Iunius Brutus Mam. Aemilius Lepidus, anni 76 decesserat Cn. Octavius, vivebat C. Scribonius Curio, anni 75 uterque decesserat L. Octavius C. Aurelius Cotta, anni 74 vivebat L. Lucullus, decesserat M. Aurelius Cotta, anni 73 vivebat M. Lucullus, decesserat C. Cassius Varus, anni 72 vivebat L. Gellius, decesserat Cn. Cornelius Lentulus, anni 71 decesserat uterque Cn. Aufidius Orestes P. Cornelius Lentulus. Apparet igitur quam vere Cicero multos decessisse dixerit. — *nisi forte nihil est aequum.* Pronomen *nihil* coniunge cum suspicandi verbo; sententia igitur est *nisi forte iniquum est vos aliquid suspicari, sed est aequissimum.* Quod autem dicit *nimium angustus*, frequentius apud Ciceronem est *nimis angustus*, veruntamen etiam illud bonum, in Cat. I, 5, 10 *nimium diu*, in Verr. Act. I, 10, 29 *nimium diligens*, ibid. II, 65, 157 *nimium tenuiter*; ad Att. XII, 18, 1 *nimium longum*; p. Cluent. 46, 128 *nimium multi*; epist. XII, 30, 7 *non nimium probo.*

38. *attendite animos ad ea.* Verius hoc videtur esse quam quod cod. Lag. 9 habet *attendite animo ad ea.* Nam Cicero etsi saepius dicit *attendere aliquam rem* et rursus, ubi rei, quae animadvertatur, casus non additur, *attendere animum*, ablativum tamen *animo* non addidit. Etiam illud est rarum, sed et necessarium et origini verbi conveniens, *animos attendere ad aliquid*, neque inveni nisi de off. I, 37, 131 *si attentos animos ad decoris conservationem tenebimus.* — *gradum quendum atque aditum*, i. e. gradum, per quem ad cetera adeat. Est igitur ἓν διὰ δυοῖν. Gradus autem proprie sunt scalarum, quos *iaci* dixit, ut fundamenta similiave iaciuntur. At *gradum facere* (Cic. de orat. II, 61, 249 *quotiescunque gradum facies*; in Verr. II, 1, 3

ceteris rebus. Quid dicam? invidiosum putasse hoc fore, si omnia nominasset? Non metuit invidiam. Quid ergo? Longum putavit et timuit ne quid praeteriret; ascripsit *aliudve quid:* qua brevitate rem nullam esse exceptam videtis. Quicquid ergo sit extra Italiam, quod publicum populi Romani factum sit L. Sulla Q. Pompeio consulibus aut postea, id Xviros iubet vendere. Hoc 39
capite, Quirites, omnes gentes, nationes, provincias, regna Xvirum dicioni, iudicio potestatique permissa et condonata esse dico. Primum enim hoc quaero, qui tandem locus usquam sit, quem non possint Xviri dicere publicum populi Romani esse factum. Nam cum idem possit iudicare qui dixerit, quid est, quod non liceat ei dicere, cui liceat idem iudicare? Commodum erit Per-

38. *Quidquid igitur.* — 39. *Primum hoc quaero, ecqui tandem.* — *decemviri non possint.* — *liceat eidem iudicare.*

maioribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est) est gradi vel procedentem vel ascendentem, idque hoc loco parum aptum. Diceret enim sic, dum priora illa constituit, Rullum pervenisse ad cetera; debebat certe *pervenire* dicere vel, quod aptius est, haec eum fundamenta iecisse, quibus ad cetera perveniret. Minus autem solitam esse translationem Cicero ipse *quasi* et *quendam* addens indicat. — *invidiosum putasse.* Sic iam Iuntinus editor ex coniectura scripsit; nam codices *putasset* habent. Cum enim antecedat *quid dicam eum sensisse,* dupliciter pergere potuit, ut quod Rullus voluisset aut ex dicendi verbo aptum faceret aut per se efferret. Hoc fecit paulo post *longum putavit*, cum item infinitivum ponere licebat, illud hoc loco. Coniunctivo quidem nullus locus est. — *Quicquid ergo.* Redit oratio quasi post parenthesin quandam ad id, quod fuerat *qui agri, quae loca,* quae singillatim nominata erant complectens. In hoc autem ad priora reditu non tantum *igitur,* verum etiam *ergo* poni constat (vide Madvig. ad Cic. de fin. I, 21, 72), ut quod recentissimi editores ex minus bono codice scripserunt *igitur,* ex correctura librarii, qui *ergo* brevi spatio repeti nollet, natum esse existimem. Consules autem, qui nominantur, fuerunt anno 88 post confectum modo bellum Marsicum. Ex quo tempore nulla prope fuit provincia Romana, quae non seditione ac bello perturbaretur, ut rectissime Cicero, quoniam quicquid bello vel capitur vel recipitur, populi Romani fit, omnes gentes ac provincias lege Servilia comprehendi criminetur.

39. *quid est quod non liceat ei dicere, cui liceat idem iudicare?* Codices quidem omnes exhibent *cui non liceat* cet., quod cum verum non esse appareret, negationem primus expulit Victorius. Sed recentes editores Iuntinum secuti scripserunt *cui liceat eidem iudicare,* inutili ac parum apta sententia. Nam mera est eorum quae antecedunt *cum idem possit iudicare qui dixerit* repetitio. Itaque nos deleta tantummodo negatione hanc sententiam effecimus: Quoniam idem iudicat qui dixit, omnia potest dicere, quia quae dixit, eadem iudicando confirmare licet. Animadvertendum autem est ipsum *dicendi* ver-

gamum, Smyrnam, Tralles, Ephesum, Miletum, Cyzicum, totam denique Asiam, quae post L. Sullam Q. Pompeium consules recuperata est, populi Romani factam esse dicere? Utrum oratio ad eius rei disputationem deerit an non idem et disseret et iudicabit? Impelli non poterit, ut falsum iudicet, an, si condemnare Asiam volet, terrorem damnationis et minas non quanti volet existimabit? Quid (quod disputari contra nullo pacto potest,

recuperata sit. — 40. deerit, an, cum idem. — iudicabit, impelli non poterit. — iudicet? an si. — Asiam nolet, terrorem. — volet, aestimabit? Quid.

bum de magistratu, qui pro potestate sibi permissa decernit, usurpatum, nec dubium est, quin eodem substantivum *dicionis*, quod paulo ante cum iudicio et potestate coniunxit, pertineat. — *Commodum erit* — ? Haec sententia cum iis, quae insequuntur, proprie condicionem efficit simplexque haec erat oratio: Si volet Pergamum totamque Asiam populo Romano adiudicare, vel probare id iudicium rationibus poterit, vel certe eo utetur ad pecuniam exigendam. Sed dissolvit hanc sententiam per interrogationes, quibus cum in apodosi usus sit, ne protasin quidem aliter constituemus. Nominat autem opulentissima Asiae oppida, quae in bello Mithridatico ab hostibus capta, tum vel a Sulla vel a Cn. Pompeio recepta sive *recuperata* erant, nec dubium erat, quin ea omnia ex severitate iuris Romani publica populi facta esse deberent videri. Scripsimus autem *recuperata est* codicum ratione moti, ut narret tantum; nam in coniunctivo *recuperata sit* etiam causa, cur publica populi Romani iudicetur, additur.

40. *Utrum oratio — existimabit.* Adhuc haec sic edebantur: *Utrum oratio ad eius rei disputationem deerit? an cum idem et disseret et iudicabit, impelli non poterit, ut falsum iudicet? an* cet. Triplex igitur erat interrogatio, sed in ea quae altero loco efficiebatur, latebat sententiae vitium gravissimum. Quid enim est hoc: *cum idem et disseret et iudicabit, impelli facile poterit* (nam hoc sub interrogationis specie latet) *ut falsum iudicet?* Coniunctio *cum* si non causam, at occasionem falsum iudicandi indicare debet: at quae occasio vel quae invitatio ad falsum iudicandum est, si idem et disseras et iudices? Nulla opinor; nam cui iudicandi potestas data est, is iudicat, utut vult. At, si idem et disseras et iudices, magna facilitas existit ad disserendum quicquid placuerit, quoniam omnia quae dissererіs, iudicio poteris confirmare. Atque hanc sententiam sublato omni vitio restituit praeclara cod. Lag. 9 lectio, qua eximia orationis elegantia ac concinnitas in binas interrogationes dupliciter divisa sententia efficitur. Iam in priore interrogatione hoc inest: *Verba ei non deerunt; nam quodcunque dixerit, id iudicio ipse confirmabit,* in altera hoc: *facile impelletur, ut falsum iudicet, nam pretium iudicii quantum volet, statuet.* Eaque de causa in altera interrogatione lectio, quam optimi codices praebent, constituitur. Nam primum *existimabit* verius esse iudicamus quam *aestimabit.* Illud ad sensum magis Xvirum referendum est, qui quod apud se statuant quantumvis pretium posci posse, in iudicando moveantur, hoc ad eam, quae apud alios homines fit, pretii postulationem. Nec

quod iam statutum a nobis est et iudicatum, quam hereditatem iam crevimus) regnum Bithyniae? quod certe publicum est populi Romani factum: numquid causae est, quin omnes agros, urbes, stagna, portus, totam denique Bithyniam Xviri venderituri

potest, quoniam statutum. — *iudicatum, quoniam hereditatem.*

video, cur genitivum pretii huic existimandi verbo Cicero non videatur addere potuisse, cum putandi et ducendi et aliis verbis addat, atque apud Corn. Nep. Cat. I, 2 legitur *Catonis opera magni existimata est in proelio apud Senam.* Item magis placet *si condemnare Asiam volet* quam quod quidam codices deteriores habent *si condemnare — nolet,* etsi in tantula litterarum differentia parum omnino librorum ms. auctoritas valet. Sed quoniam falsum Rulli iudicium in condemnando positum est, idem, quod in priore interrogationis parte fuit, in altera referendum est: velut in superioris interrogationis priore parte est, facile Rullum quicquid velit, disputaturum, in altera, facile eum quod disputet, iudicio confirmaturum, ita in huius interrogationis priore parte est, facile eum impelli posse, ut Asiam condemnet, in altera, si condemnet, eum quantam velit pecuniam accepturum. Nec si volet Rullus condemnare, i. e. si voluntatem condemnandi prae se feret, non poterit tamen ipsam damnationem remittere. — *Quid — regnum Bithyniae?* Haec coniungenda, ut paulo post est *Quid Mytilenae?* et *Quid Alexandria?* quaeque adiiciuntur relativa, quasi parenthesis loco accipienda sunt. Nam quod olim edebatur *quoniam statutum*, correximus de auctoritate codicis optimi *quod iam statutum,* ut tria inter se excipiant relativa eximiaque orationis concinnitas existat. Sed quod est *quod disputari contra,* noli *contra* pro praepositione intelligere (neque enim apud Ciceronem quidem ea praepositio et casui postponi et ab eo verbum interiiciendo potest separari), sed adverbium est, quo disputandi verbum definitur. Nam ut *contra dicere* et *contra ponere* dicitur, cur non *contra disputare* inversoque ordine *disputare contra* dicatur? Tum *statutum a nobis* intellige a senatu, eaque de causa longe rectius est *a nobis* quam quod minus boni codices habent *a vobis;* nam senatus proprium hoc munus est, ut de regnis externarumque nationum rebus decernat. *Cernere* autem hereditatem est constituere te esse heredem idque quod relictum est postquam inspexeris operaeque pretium esse inveneris possidere. Atque ita acciderat in Bithynia: quam cum Nicomedes rex anno 74 a. Chr. sine iustis liberis mortuus populo Romano testamento legasset, senatus L. Iunio Silano, Asiae proconsuli, ut regnum in provinciae formam redigeret, mandarat. Quod antequam prorsus fieret, bello Mithridatico conflato Bithynia in potestate fuit M. Aurelii Cottae, L. Luculli, denique Cn. Pompeii, qui ipso hoc tempore, quo Cicero hanc orationem habuit, tenebat. Qui postquam anno 61 decessit, primus novae provinciae proconsul fuit C. Papirius Carbo. Videmus igitur quam recte Cicero h. l. Bithyniam et populi Romani esse dicat et provinciam esse neget. — *stagna.* Sic pauci quidam codices ab aliis adhibiti scribunt; nam nostri omnes habent *stativa*, quod sententia carere omnes concedunt. Iam stagna possunt esse et salinae, velut *stagnum salinarum* est apud auct. de

XVI sint? Quid Mytilenae? quae certe vestrae, Quirites, belli lege
ac victoria factae sunt: urbs et natura ac situ et descriptione
aedificiorum et pulchritudine imprimis nobilis, agri iucundi et
41 fertiles: nempe eodem capite inclusi continentur. Quid Alexan-

victoriae iure factae.

bello Afric. c. 80, et lacus piscium pleni: sed neutro genere Bithyniam imprimis nobilem fuisse scimus. Itaque dubitari possit nnm verum sit *stagna*, nec displiceat *saltus*, quoniam Bithyniam et ligno ad naves aedificandas et pecore abnndasse scimus. — *Mytilenae* nobilis Lesbi urbs, sed perfidia in Romanos insignis. Quae cum regis Mithridatis partes amplexa esset, M. Aqnillinm valetudinis causa apud se commorantem regi tradidit ac tam infensa fuit, ut L. Sulla iam in Italiam reverso sola omnium Graecarum urbium resisteret ac demnm a M. Minncio Thermo expugnaretur (Liv. ep. LXXXIX et Suet. Caes. 2). Eius urbis sitnm reprehendit Vitruv. I, 6, magnifice tamen atque eleganter aedificatam esse concedens: quare ab Romanis, qui amoenitatem secessus quaererent, aliis urbibus solebat praeferri (Cic. epist. IV, 7, 4; Hor. carm. I, 7, 1; Senec. cons. ad Helv. 9). Itaque et Cn. Pompeium saepe ibi fuisse scimus et eodem secessisse M. Agrippam (Suet. Oct. 66) et constitisse aliquamdiu Germanicum (Tac. Ann. II, 54). Scripsimus autem *belli lege ac victoria*, cum soleret edi *belli lege ac victoriae iure*, quia cod. 9 omittit *iure*, quod facile patimur abesse natumque videtur, quod cum genitivus *victoriae* vitiosus esset, alter ablativus putabatur esse addendus.

41. *Quid Alexandria* sq. In obscurissima ultimorum Ptolemaeorum historia sequor virum eruditissimum M. Letronnium, qui in collectione inscriptionum Aegyptiacarum I p. 79 et II p. 95 secundum anctores veteres et monumenta reges resque ab iis gestas digessit. Anno igitur 81 a. Chr. cum Ptolemaeus Soter II decessisset, pancos menses Cleopatra sive Berenice, filia eins, sola regnavit, tum coacta ab L. Sulla nupsit Alexandro II, privigno suo. Sed is post undeviginti dies reginam interfecit atque ipse continuo a populo Alexandrino, qui reginam magna caritate desideraret illinsque cum Romanis coniunctionem improbaret, occisus est. Sic interiit vera Ptolemaeorum stirps, sed supererant dno Soteris filii spurii, quornm maior, qui Auletes cognominatur, puer octo vel decem annorum, regnum Alexandriae obtinnit, alter Cyprum accepit, qui anno 58 rogatione Clodia regno spoliatus sua mann periit. Sed Auletes etsi cum alias domesticas seditiones habuit, tum per triennium (ann. 58—55 a. Chr.) ab ipsis Alexandrinis fugatus in exilio fuit, regnavit Alexandriae, dum anno 52 decessit, excepitque eum Cleopatra illa, tertia eius filia, Caesaris et Antonii amica, quae ab Augusto mori coacta est. Iam ille Alexander II, cum quo vera Ptolemaeorum stirps extincta est, dicebatur testamentum fecisse, quo regnum Aegypti populo Romano legaret, quae ipsa, nt opinor, causa fuerat, cur et ab L. Sulla Cleopatrae maritus adinngeretur et ab populo Alexandrino occideretur. Itaque hac testamenti specie usus est P. Clodius, nt Cyprum in provinciae formam redigeret; ipsa Aegyptus dilata interim est, sed saepe tamen de ea actum. Primum enim L. Philippum Cicero ait saepe in senatu

dria cunctaque Aegyptus? ut occulte latent! ut recondita sunt! ut furtim tota Xviris traduntur! Quis enim vestrum hoc ignorat dici illud regnum testamento regis Alexandri populi Romani esse factum? Hic ego consul populi Romani non modo nihil iudico, sed ne quid sentiam quidem profero. Magna enim mihi res non modo ad statuendum, sed etiam ad dicendum videtur esse. Vi-

41. *latet.* — *recondita est.* — *traditur.* — *regis Alexae.*

confirmasse de testamento facto (huc enim pertinet pluralis *haec* § 42). Is Philippus, quoniam tamquam magnae auctoritatis vir et qui optime causam ipsam cognoscere potuerit, laudatur, non potest esse filius, cos. 56 a. Chr., sed pater, insignis prudentia atque eloquentia, cos. anni 91, quem post Sullae dictaturam multum in senatu potuisse scimus. Ipsam autem L. Philippi confirmationem in senatu factam esse arbitror circa annum 75 et 74, cum de altero bello Mithridatico et de regno Cyrenaico, quod item Ptolemaeorum fuerat, Romanis relicto ageretur; nam Cicero ait § 42 *memoria teneo*, tamquam de re, quae et ante multum tempus acciderit et ab ipso praesente audita sit; interesse autem senatui coepit Cicero post quaesturam ann. 75. Tum anno 65 M. Crassus in censura vehementer egerat, ut Aegyptus in provinciae formam redigeretur (Plut. Crass. 13), sed restiterunt Q. Catulo principe optimates, qui Auletem socium atque amicum populi Romani appellandum curarunt, unde C. Caesari anno 64 causa extitit, ut fugato ab Alexandrinis rege Aulete extraordinarii imperii occasionem quaereret (Suet. Caes. 11). Quare qui § 42 afferuntur eorum, qui Aegyptum in provinciam redigi nolint, sermones, eos optimatium esse intelligemus, qui etsi in senatu tunc plus valebant, facile tamen apud populum a P. Rullo vinci poterant. Sed ille rex, qui testamentum de Aegypto relinquenda fecit, quomodo est appellandus? Alexandrum reliqui scriptores appellant, nec dubium est, quin ita etiam Cicero appellet. Apud quem cum ter nominetur, primum orat. I de leg. agr. I, tum bis hac paragrapho, illic omnis codicum auctoritas *Alexandrum* tuetur, his locis item optimus codex cum levi errore, reliqui libri ms. habent *Alex* vel *Alexa*, *Alexe*, sed partim lineola imposita, quae contractum esse nomen significat. Improbo igitur nomen *Alexae*, quo recentiores editores usi sunt. Id nomen non infrequens in Syria et Aegypto fuit (Ioseph. Antiq. XVII, 1, 1; bell. Iud. I, 28, 6; Letron. Collect. Inscr. Aegyp. II p. 55 et 64), sed in Aegypti tamen regibus non usitatum. — *traduntur.* Sic de coniectura scripsimus; nam libri ms. omnes habent *traditur.* Sed rursus iidem paulo ante scribunt *recondita sunt* et *latent* is, quem pro optimo ducimus. Quare cum facilius *traduntur* in *traditur* quam *est* in *sunt* transire potuisse videretur nec certe numerorum inaequalitas ferri posset, emendare non dubitavimus. — *ne quid sentiam quidem.* Notum est *sentire* saepe idem esse ac *censere*, qua de re et alii dixerunt et Madvig. ad Cic. de fin. II, 3, sed quomodo discrepet ab *iudicando*, docet hic locus. Iudicare est testibus argumentisque utrimque auditis atque examinatis quid verum esse videatur proferre, sentire est nulla quaestione instituta nec causa rite cognita quid arbitrere, indicare. Huic in

deo qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem senatus extare hereditatis aditae sentio, tum, quando Alexandro mortuo legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris
42 recuperarent: haec L. Philippum saepe in senatu confirmasse memoria teneo: eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere neque animo regio esse, inter omnes fere video convenire. Dicitur contra nullum esse testamentum: non oportere populum Romanum omnium regnorum appetentem videri: demigraturos in illa loca nostros homines propter agrorum bonitatem et omnium
43 rerum copiam. Hac tanta de re P. Rullus cum ceteris Xviris

Alexa mortuo. — 43. cum [ceteris] decemviris.

iis quae consequuntur, respondet *dicere*, illi *statuere*. Sed habet etiam aliam significationem *sentire*, quae paulo post reperitur *auctoritatem senatus extare — sentio* i. e. scio, idque testatur Quint. X, 1, 13 *Nam et intelligo et sentio et video saepe idem valent quod scio*. — *auctoritatem senatus* i. e. senatusconsultum, cui tribuni plebis intercesserunt, quodque eam ob causam effectum nullum habuit; sic enim rite usurpatur. Ipsa res, quam Cicero h. l. commemorat, ignota est. Hoc tantum scimus, regem Alexandrum eum, a quo regnum Romanis relictum esse diximus, cum magnis thesauris matris in Co insula esse relictum ibique educatum: ubi cum anno 86 inventus esset ab Mithridate, Ponti rege, tunc bellum cum Romanis gerente, parte thesaurorum privatus, sed ipse regie habitus est (App. bell. Mithr. 23 et bell. civ. I, 102). Unde cum rex effugisset, ad L. Sullam pervenit ab eoque, ut demonstravimus, Aegypto impositus est. Facile igitur credemus, thesauros, quos habebat, eum cum in Aegypti regnum ascisceretur, Tyri deposuisse, tum postquam interiit hereditate Romanis relicta senatum ea de re deliberasse, et, quamvis regnum ipsum nondum possidere placeret, reliquam tamen hereditatem (nam relicta erat certae alicui civitatis parti, itaque intelligo quod ait *depositam nostris*) adire statuisse eaque de re legatos Tyrum misisse, qui thesauros ibi ab rege depositos asportarent. Coniecturam tamen hanc esse intelligo, sed eam, quae cum rebus, quas scriptores tradiderunt, optime conveniat.

42. *eum, qui regnum illud teneat* i. e. Ptolemaeum, qui cognomen Auletes habebat, quem spurium fuisse diximus. Cuius ingenium cum alii quicunque omnino commemorant, vituperent, tum Strabo XVII p. 796, qui cum omnes post tertium Ptolemaei male regnassent, pessime ait regnasse ultimum Auletem. Quod autem paulo post est *appetentem*, natum est coniectura Nic. Angelii, sed necessaria. Miramur autem, quod deinde significat metuisse tunc Romanorum principes, ne Aegyptus in provinciae formam redacta nimis placeret civibus Romanis iique eo demigrarent; paucos enim omnino Romanos postea in Aegypto consedisse scimus. Sed providerat Augustus, qui et procuratori suo eam provinciam tradidit et senatores eo omnino proficisci vetuit et civitate Romana Aegyptiis interdixit, ne videlicet cum civibus permiscerentur.

collegis suis iudicabit? et verum iudicabit? Nam utrumque ita magnum est, ut nullo modo neque concedendum neque ferendum sit. Volet esse popularis, populo Romano adiudicabit, ergo idem ex sua lege vendet Alexandriam? Urbis copiosissimae pulcherrimorumque agrorum iudex, arbiter, dominus, rex denique opulentissimi regni reperitur. Non sumet sibi tantum, non appetet, iudicabit Alexandriam regis esse, a populo Romano abiudicabit?
Primum num populi Romani hereditatem Xviri iudicent, cum 44, XVII

et utrum iudicabit? — *Alexandriam, vendet Aegyptum.* — 44. *Primum tum populi.*

43. *verum iudicabit.* Editores nunc omnes receperunt Puteani emendationem *utrum iudicabit,* quia nec hanc sententiam nec totum hunc de Aegypto locum intellexerunt. In hac quidem sententia crescere oportet orationem, ut ab eo quod minus est ad maius gradus fiat, atque id rectissime efficitur, si cum indignatione quadam (nam hanc particula interrogandi omissa indicat) primum quaerat *iudicabit?* tum, id quod multo gravius est, *verum iudicabit?* Cf. supra § 40 *falsum iudicet.* Movebat autem interpretes maxime quod insequitur *Nam utrumque ita magnum est,* quod cum ad ea quae antecedunt pertinere putarent, necessario prope scripserunt *utrum iudicabit.* Nos vero et *utrumque* illud et totam illam sententiam ad ea quae sequuntur referemus. Utrumque ait Cicero nimium esse et si condemnet et si liberet Aegyptum P. Rullus. Primum illud exequitur, si condemnet, et quidem per duas sententias, quarum una protasin, altera apodosin efficit. Protasis rursus tripertita est: *volet esse popularis* et *pop. Romano adiudicabit* et *ergo idem — vendet Alexandriam;* tum apodosis simplici illa quidem sententia, sed magna tamen cum cumulatione verborum eum tam potentem fieri docet, quam civem Romanum fieri non oporteat. Haec ita esse accipienda ac distinguenda docet non modo eorum, quae sequuntur, sed ipsa etiam temporum ratio. Protasis enim habet futura *volet, adiudicabit, vendet;* apodosis effectum significans habet praesens *reperitur.* Verum etiam illud apparet, recte in cod. 9 omitti, quae ab reliquis librariis in protasi adduntur *vendet Aegyptum.* Nam neque in apodosi de Aegypto dicit (neque enim eo *opulentissimum regnum* pertinere necesse est) neque in altera sententia terram ipsam commemorat, sed hoc tantum dicit *iudicabit Alexandriam regis esse.* Quare duas illas voces mala librariorum sedulitate extitisse statuemus. Sequitur alterum, si liberet Rullus Aegyptum atque ab populo Romano abiudicet, quid futurum sit. Ibi protasis rursus quadripertita est futurisque temporibus instructa *sumet, appetet, iudicabit, abiudicabit:* apodosis, quae ab § 44 incipit, longior est nec tantum per complures interrogationes diducitur, sed etiam adiunctum habet, quod ad omnes insidias regno Aegypti positas pertineat. Uberius de hoc loco disputare me coegerunt interpretum errores, quorum nemo veram rationem perspexit.

44. *Primum num.* Coniectura haec est; nam libri ms. habent *primum tum* et *primum eum.* Sed apodosin eorum, quae in antecedenti § sunt, hinc

vos volueritis de privatis hereditatibus centumviros iudicare? Deinde quis aget causam populi Romani? Ubi res ista agetur? Qui sunt isti Xviri, quos perspiciamus regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adiudicaturos? Quo si L. Cotta L. Torquato consulibus cucurrerunt, cur non aperte, ut antea, cur non item, ut

adiudicaturos? Quod si Alexandria petebatur, cur non eosdem cursus hoc tempore quos L. Cotta.

incipi diximus: quare particula *tum* rectius caremus, caretque altera superior apodosis particula: sed aegerrime caremus interrogandi particula difficultatemque aliquam sub ea voce latere ipsa codicum varietas indicat. De Cviris, qui deinde commemorantur, dicere difficile est; neque enim quando instituti sint, quomodo fieri consuerint, quam potestatem habuerint constat. Hoc scimus, fuisse electos (sorte factos appellat Dio Cass. LIV, 26), fuisse quinque et centum (Paul. apud Fest. s. v.) vel octoginta et centum (Plin. ep. VI, 33), praefuisse antea quaestorios viros, tum ab Augusto Xviros stlitibus iudicandis (Suet. Aug. 36), indicasse modo universos, modo in consilia divisos, decrevisse denique cum de aliis litibus tum de hereditatibus controversis, similiaque alia traduntur, quae hic exponere atque examinare, cum levis tantum eorum mentio fiat, inutile est. Sed quod ait primum *hereditatem iudicare*, deinde *de hereditatibus iudicare*, notandum est, non ita dubitandum, ut priore loco item praepositio *de* pro accusativo corrigatur. Nam iudicare aliquid non tantum est pronuntiare aliquid, ut § 43 est *verum iudicabit*, § 40 *falsum iudicet*, verum etiam iudicium ferre de aliqua re, atque ita non modo pronomina adduntur, sed etiam substantiva, ac vulgaria sunt *res iudicatae*, *causa iudicata* Ictique adeo *homines iudicatos* appellant eos, de quibus iudicium habitum est. — *Quis aget causam pop. Rom.*, i. e. quis defendet causam pop. Romani, ac sic pergit: quale est consilium iudicum, apud quos res agetur? Si fide digni essent Xviri, posset fortasse etiam sine pop. Romani patrono recte iudicari: nunc cum illi indigni sint, nullo modo illud iudicium ferri posse significat. — *Quo si — cucurrerunt, cur non aperte, ut antea, cur non item, ut tum, decreto — petierunt.* Turpi interpolatione laborabat hic locus, qui virtute cod. Lag. 9 a nobis emendatus est. Etenim sic legebatur: *Quod si Alexandria petebatur, cur non eosdem cursus hoc tempore quos L. Cotta L. Torquato consulibus cucurrerunt? cur non aperte, ut antea, cur non item, ut cum — petierunt?* In quibus primum illud *si Alexandria petebatur* prorsus supervacaneum iudicabimus; nam petere eos Alexandriam dixerat in totius sententiae protasi, ut haec ab eo, qui totius huius loci perpetuitatem non perspiceret, profecta esse videamus. Deinde quis a Cicerone scriptum esse credet *eosdem cursus, quos — cucurrerunt?* in quo et *cursus currere* intolerabile est et pluralis ineptus. At ille quem dixi liber habet *Quod si L. Cotta L. Torquato consulibus cucurrerunt, cur non aperte, ut antea* cet., quae cum ita sententia carere viderent nec facilius remedium nossent librarii, ineptias illas excogitarunt. Veruntamen si aliter distincta oratione pro eo quod est *quod*, scribas *quo* (neque haec in relativo, in quo saepissime

tum, decreto et palam regionem illam petierunt? An, Quirites, ii, qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt, nunc caecis tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt?

ut cum directo et palam. — an qui etesiis, qui per. — nunc taetris tenebris.

peccatur, mutatio non est levissima), optima efficitur sententia. *Si eo* (i. e. Alexandriam, ad id regnum) anno 65 a. Chr. *cupide tetenderunt* (hoc enim videtur esse *currere*) vel *cum eo cupide tetenderint, cur nunc aliter regionem illam petierunt?* Scripsimus autem *ut tum*, etsi auctoritas codicum haud dubie commendat *ut cum;* sed respondet ei quod antecedit *ut antea*, debueruntque id etiam qui interpolationem illam retinebant editores emendare: adeo facile *cum* et *tum* permutantur. Sed quod deinceps scripsimus ex omnium librorum ms. auctoritate *decreto et palam*, displicuit olim Lauredano, displicuit etiam plerisque recentiorum editorum scripseruntque *directo et palam*, pervertentes sententiam. Nam *decreto petere* est petere ut decreto detur Aegyptus provincia, ut decernatur provincia, proprieque in provinciis, quas accipimus, dicitur. Apparet igitur, quid dicat Cicero: biennio ante populares operam dederant, ut nominatim sibi Aegyptus provincia decerneretur, nunc eam cum non nominarint, sub verbis legis latere voluerunt. Respicit autem ad illud, quod Suet. 11 de Caesare narrat: *Conciliato populi favore temptavit per partem tribunorum, ut sibi Aegyptus provincia plebiscito daretur — nec obtinuit adversante optimatium factione.* — *An, Quirites, ii.* Codices omnes habent *an quietis iis*, quod quis dubitat quin possit intelligi *cum quiescant ii?* Sed ita falsum narraret Cicero. Nam iidem homines et anno 65 Aegyptum petierant et tunc Cicerone cos. petebant, idque cum ex iis quae antecedunt, tum ex orat. I, 1 intelligitur: *Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus iis, quibus apertissime pugnantibus restitistis?* Quare ingeniose olim Guilelmius coniecit *An qui etesiis, qui per cursum rectum* cet., quia is ventus ad austrum flans secundus est Alexandriam navigantibus, vide ad Att. VI, 7 et Caes. bell. civ. III. 107: *Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti.* Sed nec pronominis relativi repetitio placet nec de vento secundo aut adverso, i. e. de fortuna secunda aut adversa, verum de iis, qui rectum cursum teneant aut iis, qui nescio atque inopinante pop. Romano quasi per tenebras Alexandriam pervenire studeant, agitur. Itaque praetulimus Manutianam emendationem, paucis litteris a codicibus distantem. *Regnum tenere*, i. e. navibus ad regnum appelli, nautarum vox est, quae saepe cum ab aliis, tum ab Livio usurpatur. Recepi autem sine dubitatione, quod cod. 9 habet *caecis tenebris* pro eo, quod reliqui praebent *taetris tenebris*. Hoc enim agitur, tantas esse tenebras, ut per eas, quo navigetur, perspici non possit: taetrae quidem sine magna tempestate cogitari non possunt, ac fuerint alio tempore aliis, tunc clam Aegyptum petentibus iucundae esse debuerunt. Cf. p. domo 10, 24 *in illis reipublicae tenebris caecisque nubibus et procellis*, cum sen. grat. egit 3, 5 *ex superioris anni caligine et tenebris.*

45 Atque illud circumspicite vestris mentibus animisque. Legatos vestros, homines auctoritate tenui, qui rerum privatarum causa legationes liberas obeunt, tamen exterae nationes ferre vix possunt. Grave est enim nomen imperii atque id etiam in levi persona pertimescitur, propterea quod non suo nomine, cum hinc egressi sunt, abutuntur. Quid censetis, cum isti Xviri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum iuventute per orbem terrarum vagabuntur, quo tandem animo, quo metu, quo
46 periculo miseras nationes futuras? Est in imperio terror: patientur. Est in adventu sumptus: ferent. Imperabitur aliquid

45. mentibus una, Quirites. — Legatos nostros, — quod vestro, non suo. — per totum orbem.

45. *Atque illud circumspicite.* Hoc est alterum, quod in orbe terrarum potestati Xvirum permisso vituperandum sit. Prius est illud quod § 39 habet: *Primum enim hoc quaero, qui tandem locus usquam sit, quem non possint Xviri dicere publicum pop. Romani esse factum.* Itaque *atque* est i. q. *deinde,* transitque ad perturbationem sociorum, quae ex lege Servilia consecutura sit. Sed in iis quae deinceps sunt, vitiose cod. ms. habent *vestris mentibus unaque,* nec satis emendavit Turnebus scribens *vestris mentibus una; Quirites;* nam *una* quod ad loci coniunctionem pertinet, quid h. l. esse possit, non video. Quare probamus quod Iuntinus editor, tum Lauredanus coniecerunt *vestris mentibus animisque,* i. e. iubet eos ex iis, quae alias accidisse meminerint, et ex suo sensu coniicere, quae nationum miseria futura sit. Cf. p. Sull. 25, 70 *Circumspicite paulisper mentibus vestris;* infra § 64 *id potestis cum animis vestris cogitare.* — *Legatos vestros,* Sic esse oportet, non *nostros,* quod deteriores quidam cod. habent; debet enim uni populo legatos tribuere. Cf. supra § 29. Dicit autem hunc morem Cicero, quod senatores, qui privatum aliquod negotium in provinciis habebant, legationem ab senatu accipere solebant, quae legatio, quia publici muneris procuratione carebat, *libera* appellabatur: tum non modo corpora eorum, utpote legatorum, sancta erant et inviolata, sed etiam sumptus proficiscendi nullus; nam muli, vehicula, naves, deversoria publice ab civitatibus praebebantur. Quod genus legationum cum hoc loco grave ac vix ferendum exteris nationibus appellat, tum de leg. III, 8, 18 vehementer vituperat, eaque de causa eodem anno, quo hanc orationem habuit, in consulatu suo ita circumscripsit, ut plus quam annuas esse legationes liberas vetaret. Alia in eo genere dictator Caesar, cum de repetundis legem ferret, mutavit. Sed in iis, quae sequuntur *atque id etiam in levi persona pertimescitur,* intellige *imperium;* nam si *nomen* cogitaretur, non adderetur pronomen. Tum omnes praeter Lag. 9 codices scribunt *propterea quod vestro, non suo nomine — abutuntur* nec videtur esse dubium, quin ita possit legi. Necesse esse non existimavimus. *Abuti* autem est h. l. ut saepe ac proprio, utendo consumere, largiter uti.

46. *Est in imperio terror,* nimirum lictores et fasces, qui ei, qui non obediat, supplicium minantur; *in adventu sumptus,* domum advenientibus et

muneris; non recusabunt. Illud vero quantum est, Quirites, cum is Xvir, qui aliquam in urbem aut expectatus ut hospes aut repente ut dominus venerit, illum ipsum locum, quo venerit, illam ipsam sedem hospitalem, in quam erit deductus, publicam populi Romani esse dicet? Quanta calamitas populi, si dixerit? quantus ipsi quaestus, si negarit? Atque iidem, qui haec appetunt, queri nonnunquam solent, omnes terras Cn. Pompeio atque omnia maria esse permissa. Simile vero est multa committi et condonari omnia. Labori et negotio praeponi an praedae et quaestui?

46. *condonari omnia?*

victum aliaque necessaria praebendo, *imperabitur aliquid muneris*, velut vehicula, frumentum, servi, viarum munitiones aliaque eiusdem generis, ut commode Xviri ubique commearo possint. — *omnes terras Cn. Pompeio atque omnia maria esse permissa.* Sermo hic est optimatium, qui de Pompeii potentia queruntur. Nam is lege Gabinia cum bellum contra piratas gerere iuberetur, acceperat sane totum mare internum (i. e. *omnia maria*), sed non acceperat omnes terras, verum earum quae ad mare essent provinciarum partes maritimas. Atque exierat anno 63 triennium, in quod illud imperium datum erat: tunc ex lege Manilia Asiae minori et Syriae imperabat. Quare et augeri verbis Pompeii potentiam et cur augeatur apparet. — *Simile vero est* seq. Respondere incipit iis qui de Pompeio querebantur, itaque prorsus ex more latinitatis utitur particula *vero*. Sed vere respondet, non rursus interrogat fallique videntur, qui hoc *simile est* pro nova interrogatione accipiunt: est enim cum simulatione dicentis, ut tamen *simile est* valeat idem quod dissimillimum est. Notandum autem *condonandi* verbum, quod est ita totum tradere, ut eo ad tuum commodum ac quaestum uti liceat; in *committendo* quidem hoc inest, ut rationem reddas. Deinde oratio transit in interrogationem ac sic pergere volebat: *Labori et negotio praeponi an praedae et quaestui? — a populo eligi an per septendecim tribus nihilne interest;* verum cum tertium membrum pluribus exequi statuisset, pro infinitivis oratione explicatiore usus est. Est igitur in hoc loco quaedam dicendi inaequalitas, sed ea tamen, quam et ferre debeamus et excusare, nec probandi sunt, qui contra codicum consensum mutabant. Eorundemque codicum auctoritati paruimus *an opprimendos*, non *an ad opprimendos*, tum *impudenter populo Romano*, non *imprudente populo Romano* scribentes. Illud inviti fecimus; ita enim membra sunt dissociata, ut praepositionem repeti malimus, praesertim cum ea antecedenti vocabulo facillime hauriri potuerit. Sed et parendum esse putavimus et adeo incertum esse vidimus praepositionis vel ponendae vel omittendae usum, ut decernere non auderemus. Ut autem *imprudente populo Romano* improbaremus, fecimus etiam necessitate sententiae coacti. Ita enim nesciente pop. Romano alii nescio cui Xvirum potestas diceretur esse surrepta; est autem surrepta ipsi populo, qui imprudens eam legem qua Xviri fierent iussit. Impudentiam autem in tanta potestate clam auferenda cerni quis neget? Denique quod *si quis est honos* edi-

mitti ad socios liberandos an opprimendos? denique, si quis est honos singularis, nihilne interest utrum populus Romanus eum, cui velit, deferat, an is impudenter populo Romano per legis fraudem surripiatur?

XVIII, 47 Intellexistis quot res et quantas Xviri legis permissu venditurі sint. Non est satis. Cum se sociorum, cum exterarum nationum, cum regum sanguine implerint, incidant nervos populi Romani, adhibeant manus vectigalibus vestris, irrumpant in aerarium. Sequitur enim caput, quo capite ne permittit quidem, si forte desit pecunia, quae tanta ex superioribus recipi potest, ut

an ad opprimendos. — si qui est. — imprudente populo.

dimus, non ut recentiores *si qui est honos*, item codicum auctoritatem non dubiam secuti sumus addendusque hic locus ad eos Ciceronianos, quibus *quis* adiectivi locum obtineat.

47. *Intellexistis* sq. Absolvit unum genus venditionum, quod positum est in iis, ex quibus nullum emolumentum capit aerarium publicum: in quo genere priusquam veniret, iudicandum erat Xviris, quid publicum pop. Romani esse videretur, quid non videretur. Itaque ea *permissu* legis Serviliae continebantur, i. e. permittebatur ea vendere, si publica esse iudicarentur. Transit iam ad alterum genus, quod *iussu* legis continebatur, ad vectigalia i. e. eas populi Romani possessiones, ex quibus vectigal, annuus fructus, aerario redibat. In eo non opus erat iudicio (nam publicum esse constabat), sed hoc solum imperabatur ut veniret. Quare Cicero in illo nomen adhibuit semper *venditionis*, in hoc *auctionis* (§ 48); nam auctio fit earum rerum, quas tuas esse constet. Quamquam in lege ipsa non arbitror fuisse id nomen, quo Cicero invidiae faciendae causa utitur; venditio horum quoque vectigalium appellabatur. — *regum sanguine* i. e. iis rebus, quae alunt quasi reges, quae faciunt ut ii valeant. Nam ita solet sanguis dici cum aliarum rerum, velut *aerarii* in Verr. III, 36, 83, tum orationis notandumque quod h. l. paulo liberius regum ipsorum et exterarum nationum (i. e. liberarum) et sociorum sanguis dicitur. Cf. § 34 *omnes provincias obeundi, liberos populos agris multandi, regnorum adimendorum summa potestas datur* et § 35 *et regna omnia et imperium vestrum — et ea, quae partim libera a vobis, partim etiam ignorata vobis sunt, permissu legis continentur.* Coniunctivos, qui sequuntur, *incidant, adhibeant, irrumpant* intellige de iubendo, ut sint pro imperativis; id proxima sententia, qua haec explicatur, docet, qua iuberi narrantur Xviri. Commemoro, quia quidam editores pro coniunctivis futura posuerunt aliique coniunctivos tamquam de concessione aliqua ironica acceperunt. — *recipi.* Proprium hoc verbum est de pecunia, quae conficitur et colligitur, cf. p. Q. Rosc. 8, 24 *si hos quaestus recipere posses, non eodem tempore et gestum et animam ageres?* Quo utroque loco Lambinus, quasi id magis esset latinum, de coniectura sua scripsit *refici.* Paulo post, ubi est *plane quasi ea res — futura sit ita cogit*, nescio quam difficultatem invenit Handius in Turs. IV

deesse non debeat, sed plane, quasi ea res nobis saluti futura sit, ita cogit atque imperat, ut Xviri vestra vectigalia vendant nominatim. Quam tu mihi ex ordine recita de legis scripto po- 48
puli Romani auctionem: quam mehercule ego huic ipsam luctuosam et acerbam praedicationem futuram puto. — Ut in suis rebus, ita in re publica luxuriosus nepos, qui prius silvas vendat quam vineas, Italiam percensuit. Perge in Siciliam. — Nihil

47. res vobis saluti. — 48. ego praeconi huic ipsi. — luxuriosus est nepos. — vineas. Italiam percensuisti: perge in Siciliam.

p. 471, qui monet, ut *plane quasi* couiungas, non *plane ita cogit* cohaerere existimes. Couiungendum onim *plane* cum ea particula demonstrativa, quam ante *quasi* cogitatione certe praecedere oportet: quae cum illo loco taceatur postponaturque relativae sententiae, connectendum erit *plane ita*. Scripsimus autem *nobis saluti futura sit* ex codicum nostrorum consensu; alioquin etiam *vobis* h. l. ferri posset. Cf. ad § 45. — *nominatim* coniunge cum verbo *imperat*, i. e. singula nominatim recenset imperans ut veneant, idque ad diligentiam Servilii notaudam in exitu sententiae posuit.

48. *de legis scripto.* Scriptum pro substantivo est, graece σύγγραμμα, *scripta*que rectius appellantur, quae nos minus eleganter dicere solemus scriptoris *opera*. Cf. p. Planc. 30, 74 *Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est*; ad Att. IV, 3, 3 *sententia, quam ille de scripto dixerat*; Brut. 12, 46 *accurate tamen et de scripto plerosque dicere*; epist. X, 13 *SC. ita est perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est*; Phil. X, 2, 5 *ita enim dixisti et quidem de scripto.* Recitare autem in contione si quid opus esset praeconem consuevisse constat; sed num propterea necesse est nomen eius addi scribique *praeconi huic*, quod praeter unum Lag. 9 omnes codices habent? Non videtur; digito orator hominem commonstrat ac pronomine ipso satis designat: praeconis vocem librarius aliquis interpretandi causa adiecit. Sed in eo editores ab Iuntino plerique, recentiores quidem omnes (nam inconstanter sane Klotzius quod anno 1837 in priore editione scripserat, mutavit in altera) sententiam corruperunt, quod contra omnium codicum consensum scripserunt *huic ipsi* non *huic ipsam luctuosam — praedicationem futuram puto.* Nam *praedicatio*, i. e. recitatio (notabilisque ea est significatio, quae apud Ciceronem quidem uno hoc loco reperiatur), cui tandem praeter praeconem potest esse luctuosa, ut etiam praeconi sive ipsi praeconi luctuosa esse dici possit? Luctuosa esse possunt audientibus ea quae recitantur, ipsa recitatio non est. At praeco dolet auctione populi Romani non modo communiter cum omnibus civibus, sed dolet ipso eo, quod munere suo auctionem recitare cogitur. — *Ut in suis rebus, ita in republica* seq. Corruptus erat hic quoque locus non tantum in codicibus, verum etiam in editionibus, uno Lag. 9 virtute haud dubie restituitur. Sic enim in cod. legebatur: *Ut in suis rebus, ita in republica luxuriosus nepos, qui — vineas. Italiam percensuisti: perge in Siciliam,* et sic edebatur, nisi quod auctore Lambino multi scripserunt *luxuriosus est nepos.* Intelligebant enim apud Ciceronem nisi in proverbiis proverbiorumque similibus

est in hac provincia, quod aut in oppidis aut in agris maiores
49 nostri proprium nobis reliquerint, quin id venire iubeat. — Quod partum recenti victoria maiores vobis in sociorum urbibus ac finibus et vinculum pacis et monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum hoc auctore vendetis? Hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commovere videor, dum patefacio vobis, quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrantur contra Cn. Pompeii dignitatem. Et mihi, quaeso, ignoscite, si appello talem virum saepius. Vos mihi praetori biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco personam hanc imposuistis, ut, quibuscunque

sententiis non solere verbum *est* omitti. Erat tamen, quod magnopere offendere deberet. Nam quomodo quisquam dicere possit praeconem *percensuisse* Italiam? Est enim in percensendo, ut consilium aliquod in enumerando habueris, ut certa quadam ratione digeras ac componas: praeconi autem, quae scripta sunt, recitanti nemo ullum consilium aut rationem tribuat. At ipsum Servilium Italiae agros publicos, quos venire oporteret, enumerantem recte dicamus Italiam percensuisse tollitque vitium Lag. 9 *percensuit* exhibens, quod ceteri librarii dum iis, quae insequuntur, coniungunt, frequentissimo errore in alteram personam mutarunt, ita tamen veri vestigia retinentes, ut in antecedenti sententia verbum *est* omitterent. Nunc sic intelligemus, post illa quae sunt *futuram puto*, praeconem, quae Rullus in Italia venire vellet, ex lege recitasse. Sequuntur quae Cicero de hac Italiae auctione observat, tum adhortatio praeconis, ut pergat. Recitat igitur deinceps de Sicilia, de cuius auctione orator haec subiungit: *Nihil est in hac provincia — venire iubeat.* Tum rursus succedit de Asia praeconis recitatio, cui orator annectit haec: *Quod partum recenti victoria — hoc auctore vendetis.*

49. *recenti victoria* opponitur ei quod sequitur *ab illis acceptum.* Si maiores, quae recens expugnata erant, vendere noluerunt, nunc ea causa accedit, quod vetustas iam possessionem sacravit. *Vinculum pacis* intellige, quod populi victi iactura agri admouebantur, ne seditionem movere vellent; contra qui in fide manebant, agro, libertate, vectigalibus augebantur. — *parumper — commovere videor.* Idem fere est quod *me commoturum esse puto*, ut infinitivus praesens futuri quasi locum obtineat. Sed illum eo consilio posuit, ut per brevissimum tempus se commoturum significet, quod ipso ait *parumper, dum patefacio*, ut omnis commotio in praesenti absolvi videatur. — *praetori biennio ante,* i. e. anno 66 a. Chr., cum Cicero tunc maxime praetor legem Maniliam suasit, qua Cn. Pompeio cum piratis ex lege Gabinia pugnanti bellum Mithridaticum traditum est, in quo gerendo etiam cum Cicero hanc orationem haberet, occupatus erat. *Biennium* autem dixit, etsi paucis mensibus plus praeterierat (nam medio fere anno 66 lex Manilia videtur esse lata et ineunte anno 63 haec oratio est habita), ut plenum numerum poneret, tum *hoc eodem in loco* praepositione adiecta ipsum suggestum, ex quo dicebat, intelligens, non contionem tantum; nam ita abesse debuit praepositio.

rebus possem, illius absentis dignitatem vobiscum una tuerer. Feci adhuc, quae potui, neque familiaritate illius adductus neque spe honoris atque amplissimae dignitatis: quam ego, etsi libente illo, tamen absente per vos consecutus sum. Quam ob rem cum intelligam hanc totam fere legem ad illius opes evertendas tamquam machinam comparari, et resistam consiliis hominum et perficiam profecto, quod ego video comparari, ut id vos universi non solum videre, verum etiam tenere possitis. Iubet venire XIX
quae Attalensium, quae Phaselitum, quae Olympiorum fuerint

49. *adductus nec spe.* — *absente illo per vos.* — 50. *totam hanc.* — *video, ut id.* — *Olympenorum*

Cf. supra § 6. — *neque familiaritate illius adductus neque spe honoris.* Sic scripsimus propter auctoritatem cod. 9, cum reliqui ms. et editi habeant *nec spe honoris*. Ad sententiam quidem nihil interest nec probamus Handii in Tursell. IV p. 125 subtilitatem, qui ubi in altero membro *nec* poneretur, ascendere putabat orationem. Quod autem Cicero consulatus adipiscendi causa (nam eum *honorem* et *amplissimam dignitatem* intelligit) se Pompeii potentiae favisse negat, non immerito et veteres indicabant et nos existimabimus Pompeii conciliandi causa eum ad populares tunc se contulisse, quorum causam postquam consulatum assecutus est, rursus deseruit. Quamquam ipse Cicero in exitu orationis, quam pro lege Manilia habuit, 24, 70 item ait: *testorque omnes deos — me hoc neque rogatu facere cuiusquam neque quo Cn. Pompeii gratiam mihi per hanc causam conciliari putem neque quo mihi ex cuiusquam amplitudine aut praesidia periculis aut adiumenta honoribus quaeram.* Paulo post ante nos edebatur *etsi libente illo*, *tamen absente illo*, in quo iam Lauredano repetitio pron. *illo* displicuit, quo facilius cod. Lag. 9 secuti omisimus.

50. *tamquam machinam.* Similitudinem duxit ab re bellica, quare *machina* est bellica, qua urbes expugnantur, ut p. dom. 10, 27 *desinant homines iisdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt.* Ex eademque re cetera verba petita sunt vel certe ad eandem apta *ad opes evertendas, comparari, resistam*, in qua similitudine quia pergit, magis probo, quod omnes nostri cod. retinent, *quod ego video comparari*, quam quod Baiterus ex paucis nec bonis suis edidit *quod ego video.* Neque enim temere idem verbum repetitur, sed hoc est: ego video procul machinam comparari, ac vos cupio machinam non modo videre, verum etiam *tenere*, i. e. manu prehendere ac destruere. Ac longe facilius credo in optimo codice Lag. 9 abesse verbum (atque abest hoc ipso loco, cum *perficiam* habeat, non *et perficiam*) quam superesse. — *Iubet venire* seq. Recenset oppida ab P. Servilio Vatia Isaurico capta. Is enim ex consulatu ann. 79 in Ciciliam et Pamphyliam missus cum Isauros subegit, a quibus cognomen invenit, tum alios populos. De quo Eutrop. VI, 3 *Is Ciliciam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnavit et cepit: in his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciae;* eademque oppida nominat Oros. V, 23, Olympum quidem etiam Cicero in Verr. I, 21, 56. Itaque dubitari nequit de *Attalensibus, Phaselitis, Olympiis.* Etenim

agrumque Aperensem et Oroandicum et Eleusanum. Haec clarissimi viri P. Servilii imperio et victoria vestra facta sunt. Adiungit agros Bithyniae regios, quibus nunc publicani fruuntur: deinde Attalicos agros in Chersoneso: in Macedonia, qui regis

Agerensem. — et Gedusanum. — Haec P. Servilii imperio et victoria clarissimi viri. — Cherroneso.

Attalenses (Graece 'Ἀτταλεῖς) sunt in littore Pamphyliae, nominati ab Attalo Philadelpho, qui Coryci eos collocavit (vide Strab. XIV p. 667 et Steph. Byz.), Phaselitae ab urbe Phaselide in Lycia, sed contermini Pampbyliae, nobiles mercatura et navigatione, Olympii ab urbe et monte Olympo, item in Lycia, olim magna atque opulenta, sed postquam ab Isaurico deleta est, non amplius restituta; nam Plin. nat. hist. V, 100 fuisse scribit. Haec tria oppida cum magna parte littoris adiacentis olim tenuerat Zenicetus pirata, qui cum ab Isaurico urgeretur, incendio cum tota domo interiit (Strabo XIV p. 671). Appellavimus autem incolas *Olympios*, quod et h. l. et orat. I, 2, 4 optimus codex ita exhibet nec abhorret a veri similitudine ita esse dictos, ut discernerentur ab Olympena civitate, quae in Olympo, Mysiae monte, erat (Plin. V, 142). Nam propter Stephanum Byz., qui huius quoque Lyciae oppidi incolas appellat Olympenos, optimus codex non videbatur esse deserendus. In Phaselitis autem notandum est, quod genitivus formatur *Phaselitum*, non *Phaselitarum*, cuius generis unum certum adhuc fuit exemplum apud bonum scriptorem, *Metropolitum* apud Caes. bell. civ. III, 81. Sed tria reliqua oppida, quae in bello Isaurici a scriptoribus tacentur, incertiora sunt. Ac codices quidem habent agrum *Agerensem*, sed is ignotus est; scripsimus igitur *Aperensem* ab urbe Lyciae maritima, quae Aperrae sive Aperie dicitur apud Plin. nat. hist. V, 100, Ptolem. V, 3, 3. Tum *Orindicum* habent codices, sed Garatonius correxit *Oroandicum* ab oppido Pisidiae Oroanda (Plin. nat. hist. V, 94), a quo tractus ille appellatur Oroandicus (ibid. 147). *Gedusanum* agrum (nam sic tertio loco nominant libr. ms.) quis esset, nondum quisquam invenit. Nos quidem non dubitamus, quin esse oporteat *Eleusanum* ab insula Eleusa prope Corycum sita, quam Strabo XIV p. 671 latrociniis et terrestribus et maritimis opportunissimam eandemque agri fertilissimi esse scribit. — *agros Bithyniae regios.* Supra § 40 dixit item de regno Bithyniae, quod Xviris vendendum permissum esset, sed intelligebat totum regnum, omnes urbes, omnes agros, quae cum testamento populo Romano relicta essent, dubitari poterat, an ita populi Romani facta essent, ut totus regni ager publicus populi Romani esset. Hac de re iudicare iubebantur Xviri, tum, si viderentur esse publica, vendere. Nunc agit de iis agris, quos reges Bithyniae tamquam privatos habuerant, quos ipsi suis servis coluerant vel colonis locarant: qui quin testamento in patrimonium populi Romani eodem iure quo regum antea fuissent, transirent, non erat dubium. Itaque eos adita hereditate imperatores statim publicanis fruendos tradiderant, i. e. publicani certa pecunia constituta vectigal ab colonis, qui illos agros arabant, exigendum redemerant. — *in Chersoneso,* nimirum Thracica, quam olim Antiochus, rex Syriae, cum magnis

Philippi sive Persae fuerunt, qui a censoribus locati sunt. Et
certissimum vectigal ascribit item auctioni, Corinthios agros, opi- 51
mos et fertiles, et Cyrenenses, qui Apionis fuerunt, et agros in
Hispania propter Carthaginem novam. Et in Africa ipsam vete-
rem Carthaginem vendit, quam videlicet P. Africanus non propter

qui item a censoribus locati sunt, ... et certissimum vectigal. — 51. *Ascribit eidem.* — *novam et in Africa.*

impensis exornarat oppidis. Tum anno 190 a. Chr. ceperant Romani (Liv. XXXVII, 54) et cum reliqua Asia cis Taurum sita Eumeni, regi Pergameno, cesserant (ibid. 55), cuius filius Attalus cum toto regno hereditate reliquit. — *Philippi sive Persae.* Ait *sive,* quia quos agros Philippus, eosdem Perses, filius eius, habuit, ut ab utroque possent nominari. Genitivus *Persae* alias apud Ciceronem non reperitur, sed dativus Tusc. V, 40, 118. Male autem adhuc ex codicum consensu edebatur *qui item a censoribus locati sunt.* Quo enim pertineret illud *item?* Ad agros Bithyniae, opinor, *quibus nunc publicani fruuntur.* Sed num omnes agros, quibus publicani fruuntur, oportet ab censoribus locari? Non videtur, neque illi Bithyniae agri, quo tempore Cicero hanc orationem habuit, Romae a censoribus locati erant. Etenim antequam plane Bithynia in provinciae formam redacta est (cf. supra ad § 40), exarsit bellum Mithridaticum, quod quam diu gestum est, Bithyniae reditus non in aerarium, sed ad imperatorem, qui bellum gerebat, pervenerunt. Quare *item* locum hic nullum habet recteque omittitur in cod Lag. 9.

51. *Et certissimum vectigal.* Solebant haec tria verba antecedenti sententiae adiungi, ad quam cum non convenirent, Ussing. particulam *et* delevit, Gebhardt. observ. crit. in Cic. orat. de leg. agr. II p. 7 ante eam statuebat esse lacunam, in qua *maximum* excidisset. Quorum neutrum satis videbitur esse probabile, lacunam quidem nisi necessitate coacti non statuemus. Quare fuerunt iam veteres editores, qui haec cum insequenti sententia coniungerent nec particula *et* ab initio sententiae posita debebit esse offensioni. Nam paulo post est *Et in Africa — vendit,* quae pro peculiari sententia accipienda esse docet orat. I, 2, 5, et § 49 *Et mihi — ignoscite,* § 53 *Et credo,* saepius. Quod autem *item* i. e. non minus, pariter, edidimus, codices habent *idem,* Lambinus ex coniectura *eidem auctioni,* sed et Rullum hoc quoque fecisse et unam esse auctionem apparebat neque dicere attinebat. — *Cyrenenses.* Anno 96 a. Chr. Ptolemaeus Apio Cyrenas populo Romano hereditate reliquit (Obseq. 109); at ille tum liberas esse iussit Cyrenensium civitates (Liv. ep. LXX), etsi agros regis antea quasi privatos sine dubio possedit; in provinciae quidem formam redactae sunt Cyrenae anno 75 (Sall. fragm. II, 47 ed. Kr.). — *quam videlicet — potuit.* Restitutus est hic locus a Madvig. Opusc. acad. I p. 384 ope quorundam codicum Germanicorum, qui *nec ut ipse locus* exhibent, non *sed ut ipse locus,* quod Lagomarsiniani omnes tuentur. Etenim cum de eadem hac re supra orat. I, 2, 6 Cicero sic dicat: *quam P. Africanus — sive ad notandam Carthaginiensium calamitatem sive ad testificandam nostram victoriam sive ad oblatam aliquam religionem ad aeternam hominum memoriam*

religionem sedum illarum ac vetustatis de consilii sententia consecravit nec ut ipse locus eorum, qui cum hac urbe de imperio decertarunt, vestigia calamitatis ostenderet, sed non fuit tam diligens, quam est Rullus, aut fortasse emptorem ei loco reperire non potuit.

Verum inter hos agros regios, captos veteribus bellis virtute summorum imperatorum, adiungit regios agros Mithridatis, qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerunt, ut eos

imperio certarunt.

consecravit, tres causas aequaliter afferens, quomodo quam causam valuisse illo loco dixit, eandem hoc negare potuit? Nunc quomodo haec intelligenda sint apparet. *Videlicet* ironiam significat, quas causas unas Carthaginis non venditae afferre possit Rullus, eas esse ridiculas, nimirum has, quod aut minus diligens fuerit Africanus (i. e. minus parcus, minus attentus, minus pecuniae cupidus, electo de industria vocabulo, quod medium est inter laudem et inter vituperationem, sed magis tamen ad hanc inclinat) aut emptorem agri fertilissimi (nam propter fecunditatem celebrabatur ager Carthaginiensis) invenire non potuerit: contra veras causas esse vel religionis vel victoriae testandae. Quae autem esse potuit religio, quae Africanum decemque legatos a senatu ad constituendam provinciam missos (hoc enim appellatur *consilium*) moveret, ut agrum Carthaginiensem consecrarent? Haec, ut existimo, opinio ab vetustissimis temporibus tradita, quam Virgilius postea in Aeneide expressit, ut si qua urbs illo loco esset, eam Iunoni sacram Romaeque aemulam fore putarent. Ita igitur Africanus veterem Carthaginem *consecravit*, i. e. coli ab hominibus vetuit, ἐπηράσατο ἐς ἀεὶ μηλόβοτον εἶναι, ut ait Appian. bell. civ. I, 24. Eamque ob consecrationem et quae colonia auctore C. Graccho ann. 123 a Q. Rubrio coepta erat, occiso Graccho ab senatu sublata est et quae vere constituta est ab Caesare dictatore et Augusto, non eodem loco, quo vetus urbs, sed prope eam fuit. Vide nostras comment. epigraph. I p. 217 et 380. Veruntamen etsi in loci huius constructione constituenda codices nostros deseruimus, in duabus tamen rebus haud dubie secuti sumus. Primum scripsimus *decertarunt*, non *certarunt*; nam illud magis magnitudinem ac discrimen pugnae significat; deinde *sedum*, quae forma et a Prisc. I p. 344 Kr. probatur et p. Sest, 20, 45, Liv. V, 42 restituta est. — *Verum inter hos agros*. Accedit ad id, quod § 49 se dicturum professus est, ut insidias Cn. Pompeio collocatas aperiat, eamque ob causam proprie coniunctionem *verum* posuit, cum vi, tamquam ad rem ipsam, ad rei veritatem, ad id, in quo tota ratio versetur, accedens. Ac quoniam penitus abstrusas appellarat insidias, consulto dixit *inter hos agros regios*, i. e. enumerans hos agros regios furtim quasi ac clam *adiungit* auctioni agros Mithridatis. Commemoro, ne quis Lambino in his haerenti atque emendanti credat.

52. *legibus datis.* Imperator si quem populum subegit, solet de bello confecto ad senatum scribere, tum decem legati mittuntur, de quorum sententia imperator *leges dat*, formulam provinciae constituit, i. e. qui agri pu-

Xviri vendant. Itane vero? non legibus datis, non auditis ver- 52
bis imperatoris, nondum denique bello confecto, cum rex Mithridates, amisso exercitu regno expulsus, tamen in ultimis terris aliquid etiamnunc moliatur atque ab invicta Cn. Pompeii manu Maeote et illis paludibus et itinerum angustiis atque altitudine montium defendatur, cum imperator in bello versetur, in locis autem illis etiamnunc belli nomen reliquum sit, eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne iudicium et potestas more maiorum debet esse, Xviri vendent? Et, credo, P. Rullus (is 53
enim sic se gerit, ut sibi iam Xvir designatus esse videatur) ad eam auctionem potissimum proficiscetur. Is videlicet ante- XX
quam veniat in Pontum, litteras ad Cn. Pompeium mittet, quarum ego iam exemplum ab istis compositum arbitror: *P. Servilius Rullus, tribunus plebis, Xvir, s. d. Cn. Pompeio Cn. F.* Non

52. *Esse, viri decem vendent? — 53. compositum esse arbitror.*

blici populi Romani sint, qui victis relinquantur, quae vectigalia pendenda sint, quae civitates liberae, quae immunes sint, quomodo singulorum res publicae administrandae, quaeque alia ex eodem sunt genere. Quae postquam Romae a populo confirmata sunt, nascitur formula sive lex provinciae, quae ab imperatore, qui dedit, nominatur. Ac legem Pompeiam de Bithyniae civitatibus saepius commemorat Plinius ad Traianum. Cf. infra § 60. Itaque *non auditis verbis imperatoris* refer ad litteras illas, quas imperator de victoria ad senatum mittit, quibus decem legatos postulat. — *Maeote.* Condemnare hanc formam non audemus. Nam genitivus cum soleat esse *Maeotidis*, reperitur tamen etiam *Maeotis* apud Ennium Cic. Tusc. V, 17, 49 et Plin. nat. hist. V, 47, ex quo fieri posse ablativum *Maeote* docet *Tigre*, quod est apud Tac. Ann. II, 37. Versabatur autem tunc Mithridates, postquam ann. 66 ad Euphratem exercitum amisit, vere *in ultimis terris*, i. e. in Bosporo et Chersoneso Taurica nec insequi poterat Pompeius, quia navibus paludes maris Maeotici, exercitui terrestri Caucasus mons impedimento erat. Mithridates tamen, etsi quo tempore haec oratio habita est vivebat nomenque belli *in locis illis* i. e. in Ponto, regno eius, reliquum erat, paulo post Panticapaei a Pharnace filio occisus est morsque eius exeunte hoc anno commemoratur p. Mur. 16.

53. *exemplum ab istis compositum*, i. e. ab amicis Rulli, tribunis plebi, qui eum in ferenda lege adiuvabant. Ipsum enim adeo stultum esse fingit, ut, quamvis in Ponto auctionari velit, tamen sine amicorum ope litteras ad Pompeium componere nequeat. Sed in litteris ipsis hoc mirum habent codices mss. omnes, quod praenomine carent Pompeii. Perisse id existimo haustum antecedenti vocabulo, cum D. (i. e. dicunt) omnibus litteris exprimeretur. Abesse enim, cum Servilius Rullus praenomine ornetur, non potest: quod consuetudo et aequalitas postulat, quae cum ex aliis Ciceronis epistolis intelligitur, tum ex iis, quae Cicero Phil. XIII, 10, 22 de Antonii ad Hirtium et Caesarem

credo ascripturum esse *Magno; non* enim videtur id, quod imminuere lege conatur, concessurus verbo. *Te volo curare, ut mihi Sinopae praesto sis auxiliumque adducas, dum eos agros, quos tuo labore cepisti, ego mea lege vendam.* An Pompeium non adhibebit? in eius provincia vendet manubias imperatoris? Ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto inter nostra atque hostium castra hasta posita cum suis formosis finitoribus auctionantem.
54 Neque in hoc solum inest contumelia, quae vehementer et insignis est et nova, ut ulla res parta bello, nondum legibus datis, etiamtum imperatore bellum administrante, non modo venierit, verum locata sit: plus spectant homines certe quam contumeliam.

lege mea.

epistola disputat: in cuius praescriptione illum narrat, ne eos, ad quos scriberet, dignitatis nomine ornaret, suum ipsius nomen imperii deposuisse. — *Magno.* Haec enim appellatio, qua primus eum ex Africa triumphantem anno 81 L. Sulla appellavit, ita in cognomen abiit, ut eo non tantum alii, verum etiam ipse de se uteretur. Ipse certe in epistolis Ciceronianis ad Att. VIII, 12 inclusis *Cn. Magnus* praescribitur. In ipsa autem epistola, quae cum magna irrisione Rulli scripta est (nam quomodo dicere potuit illum suo abore cepisse agros, se sua lege venditurum?) notanda verba *te volo curare* et *praesto sis,* imperantium et parentium propria. — *Sinopae.* Ita scribendum esse probabile est, etsi libri ms. omnes habent *Sinope* (nam etiam Erfurtensis, quo Baiterus utitur, *e* vel *i* habet, non *ae*). Nam accusativus *Sinopam* est in Verr. I, 34, 87 (at *Sinopen* de imp. Pomp. 8, 21), nec *e* admittendum est nisi in urbium nominibus indeclinabilibus, ut Caere, Praeneste. Sinopen autem nominavit, quia id caput quasi Ponti erat ac sedes olim Mithridatis, ubi opes eius venire oportebat. — *manubias.* Invidiose dixit. Nam *manubiae* quaecunque proprie appellantur (vide infra ad § 59), agros tamen nemo unquam vocavit. Quae autem insequuntur, Aquila Romanus de fig. sent. 13 memoriter sic citat: *Ponite ante oculos Rullum hasta posita in Pompeii castris cum suis formosis finitoribus auctionantem.*

54. *Neque in hoc solum inest contumelia.* Respondent quae paulo post immutata oratione leguntur: *plus spectant homines;* nam proprie esse oportebat: non solum contumelia inest, verum etiam plus spectant; apteque comparatur in Verr. Act. I, 10, 29 *Non solum effugiemus — hominem in quaerendo nimium diligentem — accedet etiam nobis illud,* de off. I, 22, 76. *Quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione; attingit etiam bellicam.* Sed noluit Cicero brevi spatio easdem vel similes particulas repetere; insequitur enim *non modo venierit, verum locata sit.* In quo iniuria offenderunt interpretes, *verum etiam* requirentes. Immo, ubi a maiore ad minus descenditur, etsi potest certe alteri membro *etiam* addi (atque additum reperitur supra § 41 *non modo ad statuendum, sed etiam ad dicendum*), frequentius tamen constat fieri, ut omittatur. Sed in illo quispiam possit offen-

Sperant, si concessum sit inimicis Cn. Pompeii cum imperio, cum iudicio omnium rerum, cum infinita potestate, cum innumerabili pecunia non solum aliis in locis vagari, verum etiam ad ipsum pervenire, aliquid illi insidiarum fieri, aliquid de eius exercitu, copiis, gloria detrahi posse: putant, si quam spem in Cn. Pompeio exercitus habeat aut agrorum aut aliorum commodorum, hanc non habiturum, cum viderint earum rerum omnium potestatem ad Xviros esse translatam. Patior non moleste cum stultos esse qui hoc sperent, tum impudentes qui conentur: illud queror, tam me ab his esse contemptum, ut haec portenta me consule potissimum cogitarent.

Atque in omnibus iis agris aedificiisque vendendis permittitur Xviris, *ut vendant quibuscunque in locis videatur.* O perturbatam rationem, o libidinem refrenandam, o consilia dissoluta

54. *ad ipsius exercitum pervenire.* — 55. *moleste, tam stultos.* — *qui haec sperent, tam impudentes.* — *ab iis.* — *omnibus his agris.* — *libidinem effrenatam.*

dere, quod perfecta posuit *venierit* et *locata sit.* Sed sic cogita: insignis contumelia est factum esse ut res venierit. Est enim contumelia, si perfectum sit, non si tum demum perficiatur. — *ad ipsum.* Verius hoc videtur esse quam quod adhuc editur *ad ipsius exercitum,* quod ne per se ipsum quidem satis placet. Nam neque in ipso exercitu Pompeii quid agerent Xviri quicquam erat, et paulo post suo loco repetitur *exercitus.* Quare cum codex optimus omittat *exercitum,* errorem extitisse censeo in genitivo loco accusativi ponendo. Quod autem de insidiis Pompeio faciendis dicit, meminerat, quae L. Lucullo accidissent, qui imprimis militum seditione bellum perficere erat prohibitus. — *si quam spem* sq. Etenim iam invaluerat in republica hoc malum, ut imperatores, qui magna bella gesserant, veteranos suos cum pecunia tum agris remunerarentur. Ita C. Marius colonias deducendas curaverat, in quibus milites suos ascripsit, L. Sulla bello civili confecto veteranos in agris, quos civitatibus eripuerat, collocavit, ita Cn. Pompeius, cum ex Asia revertisset, anno 60 legem Flaviam agrariam, tum anno 59 C. Caesaris consulis adiuvit, ut veteranis suis prospiceret. Edidimus autem *viderint* ex omnium librorum ms. consensu, ut pluralis referatur ad milites, qui sub nomine exercitus latent, cf. supra § 37 *ex eo numero, qui per eos annos consules fuerunt.*

55. *cum stultos esse.* Ante nos edebatur *tam stultos esse,* tum *tam impudentes,* quae minus placent quam *cum — tum,* quibus particulis quae gradatio in verbis sit significatur. Dicit sibi non modo eloquentiam esse ad docendos homines, verum etiam industriam ad eos, qui impudentes sint, coercendos: illud queritur, ab *his,* i. e. iis qui legem agrariam tulerunt, qui se suumque ingenium nosse deberent (eaque de causa appellavit *hos*), se esse contemptum. Quod autem *tam* i. e. tantopere coniungit cum verbo, facit insolentius; quamquam pauca sunt exempla, cum *non tam* cum verbo iungitur (Cic. Tusc. III, 1; de fin. I, 1). — *refrenandam,* i. e. ita effrenatam, ut coer-

XXI atque perdita! Vectigalia locare nusquam licet nisi in hac urbe,
hoc aut illo ex loco, hac vestrum frequentia: averti nostras res
proprias et in perpetuum a nobis alienari in Paphlagoniae tene-
56 bris atque in Cappadociae solitudine licebit? L. Sulla cum bona
indemnatorum civium funesta illa auctione sua venderet et se
praedam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit, nec
quorum oculos offendebat, eorum ipsorum conspectum fugere ausus
est: Xviri vestra vectigalia non modo ne vobis quidem arbitris,
sed ne praecone quidem publico teste vendent?

hoc ex loco. — frequentia. Venire nostras. — ab nobis abalienari. — 56. sua auctione. — non modo vobis arbitris.

ceri utique debeat. Est igitur paulo plus quam id ipsum *effrenatam*. — *hoc aut illo ex loco.* Sic omnes codices vel habent vel, etiamsi vitiosi sunt, esse oportero significant, nec recte fecerunt multi interpretes, qui tantum *hoc ex loco* scripserunt. Nescimus nos quidem, quo ex loco haberi consuerint locationes (nam in foro vel prope id habitas esse constat), veruutamen quo in loeo magistratus, cum vectigalia locarent, consederint etsi non constat, satis tamen per se ipsum est probabile duo fuisse loca. Nam locabantur aut ab censoribus, quorum ratio ab reliquis magistratibus in multis rebus discrepat, aut, si censores nulli fierent, a consulibus praetoribusve. Quare *hunc* locum intelligo rostra, ex quibus tunc dicebat Cicero, in quibus item praetores, si vectigalibus locandis pracessent, considerent, *illum*, quem digito orator demonstrabat, eum, ex quo censores locabant, fortasse aedem Castoris vel basilicam. — *averti.* Sic scripsimus auctoritatis causa. Nam cum reliqui codices exhibeant *venire*, in cod. 9 est *verti*, quod cum ferri non possit, facile ex proximo antecedenti vocabulo assumitur praepositio, ut existat *averti*, quod et aptissimum est ac proprium adeo de eo, quod ex publico eripitur, et cum corruptum leviter esset, eo quod cuivis in mentem veniret *veneundi* verbo mutari potuisse apparet. Eademque auctoritate ducti scripsimus *nostras* et *a nobis*, non *vestras* et *ab vobis*, ut quae damna faciat pop. Romanus, ea secum communicet, cf. supra § 45, tum *alienari*, cf. § 33. Sententiarum antem compositionem minus h. l. ab interpretibus intellectam esse video. Illa *vectigalia locare nusquam licet* protasis locum obtinent, haec *averti vestras res — licebit* apodosin constituunt poteratque etiam sic dicere: *Cum locare vectigalia nusquam liceat, averti vestras res licebit?* Itemque quae insequuntur sententiae formatae sunt: *L. Sulla vendidit: Xviri — vendent* i. e. *cum Sulla vendiderit, Xviri vendent?*

56. *L. Sulla cum bona — venderet.* Cf. in Verr. III, 35, 81 L. Sulla *tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in contione non dubitaret, bona civium Romanorum cum venderet, se praedam suam vendere*; de off. II, 8, 27 *Est enim ausus dicere hasta posita cum bona in foro venderet et bonorum civium et locupletium et certe civium, praedam se suam vendere.* Itaque *indemnatos* intellige indicta causa proscriptos et *funestam* auctionem, quia occisorum tantum bona venibant. — *non modo ne vobis quidem arbitris, sed*

Sequitur *omnes agros extra Italiam*, infinito ex tempore, non ut ante, a Sulla et Pompeio consulibus: cognitio Xvirum privatus sit an publicus: denique agro pergrande vectigal imponitur. Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quam regium 57

ut antea, ab Sulla. — *publicus: eique agro.* — *vectigal pergrande.*

ne praecone quidem publico teste. Prorsus ita haec in codicibus ms. leguntur neque haesit in iis quisquam superiorum interpretum, dum Ernestius *non modo vobis quidem arbitris*, Baiterus *non modo vobis arbitris* scripsit. Parum illi videntur huius loci sententiam perspexisse. Nam *vobis arbitris* est vobis volentibus, vobis ita iubentibus; quare *ne vobis quidem arbitris* est ut ne vos quidem, populus Romanus, quos maxime agrorum publicorum oportet esse arbitros, ita iubeatis: rursus *ne praecone quidem publico teste* est sine testimonio non dicam populi Romani (nam is fortasse casu adesse non potest), sed ne praeconis quidem publici, quem in omnibus auctionibus publicis interesse utique necesse est. Haec duo cur non coniunguntur? Cur non dicatur: vestra vectigalia vendent Xviri, non modo ita, ut ne vos quidem iusseritis, sed etiam ita, ut ne praeco quidem publicus intersit? — *Sequitur* cet. Exposuit antea duo venditionis genera, primum § 38, ut extra Italiam quicquid ab anno 88 a. Chr. publicum pop. Romani factum esse videretur, deinde § 47, ut et intra Italiam et extra eam quicquid publicum pop. Rom. esse constaret, ex quo vectigal caperetur, id veniret: sequitur, ut extra Italiam qui agri ante ann. 88 publici facti esse viderentur, iis vectigal imponeretur: quo in genere rursus iudicium Xvirum intercedere oportebat. Nobis quidem h. l. molestum est, Ciceronem quale vectigal impositum sit, non indicasse. Etenim non dubium est, quin horum agrorum maxima pars (nam iudicio quidem in non ita multis agris videtur opus fuisse) iam ante hoc tempus certum annuum tributum solverit, sed solvebat fructibus; Rullus autem cum pecuniam quaereret, hoc facere debebat, ut aestimatione facta fructus in pecuniam commutaret. Quare in hac aestimatione omne legis quasi momentum erat positum, quae qualis instituta esset, vellemus cognoscere. Quamquam non credo fuisse *pergrande*, quod Cicero queritur: immo Rullus, ut legem suam etiam provincialibus commendaret, in pecunia constituenda aliquid videtur remisisse. Atque illud est notabile, quantopere omnem de ea re disceptationem Cicero fugerit totamque orationem eo declinarit, ut regiam potentiam Xviris permitti ostenderet: qui si ullam in aestimatione illa iniquitatem potuisset detegere, eam non videtur fuisse praetermissurus. Verba ipsa habent insignem quandam brevitatem, quasi paucis legem complecti orator properet. Quod autem scripsimus *denique*, libri ms. habent *sicque*, quod intolerabile Romanorum auribus fuisse iudicat N. Madvig. ad Cic. de fin. V, 14, 40. Ei aurium iudicio etsi nos parum decet fidem habere, tamen ne sententia quidem est apta, quia de modo, quo vectigal imponitur, non agitur. Nec tamen *eique*, quod ipse commendat, placet (neque enim ullus ager antea nominatus est) scripsimusque *denique*, quod profecto in hac codicum ms. nostrorum condicione facile credemus ita potuisse corrumpi.

sit quem praeterit? posse quibuscunque locis velint, nulla disceptatione, nullo consilio privata publicare, publica liberare? Excipitur hoc capite ager Siciliae censorius: quem ego excipi et

57. *ager in Sicilia Recentoricus.*

57. *nulla disceptatione, nullo consilio.* Diceptatio in eo est posita, ut rationes et pro causa et contra eam afferantur; consilium est iudicum, quo opus est in aliis causis iudicandis, velut in hereditatibus, de quibus § 44 dixit. Cf. quae disputata sunt supra ad § 33. *Liberare* autem dicit i. e. vectigali, quod aut impositum est aut imponi debet, unde fit, ut ex publico agro privatus existere videatur. Similiter ad Att. I, 19, 4 dicit *liberabam agrum eum,* i. e. ex divisione excipiebam. Cf. orat. I, 4, 10. — *ager Siciliae censorius.* Genitivum *Siciliae* exhibet unus cod. Lag. 9, eumque verum esse ostendit ceterorum vitium, qui cum *Sicilia* praeberent, editores demum praepositionem *in* adiecerunt. Appellatur autem ager in codicibus *Recentoricus* sive *Retentoricus*, et hic et paulo infra et in orat. I § 10 et 11. Qui ager quis fuerit, nondum a quoquam interpretum indicatum esse video, ignotum esse fateutur omnes. Sed faciamus nomen illud esse vel civitatis vel populi, num id in Sicilia latere posse probabile est? Extant tam diligentes geographorum de illa iusula narrationes, tam saepe ea ab aliis scriptoribus commemoratur, ut vix ullam paulo maiorem civitatem ignotam nobis esse credamus. Neque in iis quae prodita sunt nominibus est ullum, quod aliqua similitudine ad hoc accedat. Magnum autem fuisse hunc agrum, ex eo, quod nominatim in hac lege excipiebatur, intelligimus, item quod Cicero necessitudinem hominum commemorat. Efficitur, ut omnino civitatis alicuius aut populi Siciliensis ager dici non videatur. Atque id etiam alia ratione fit probabile. Etenim agri huius possessores Cicero propter vetustatem possessionis retinendos esse censet. Iam complurium civitatum agros bello Punico primo publicos populi Romani factos esse constat, complurium bello altero, nec ante illa bella Romani unquam ad Siciliam accesserant. Quare si huius, qui Recentoricus in cod. scribitur, agri possessores hac una vetustatis causa possessionem tuebantur, nonne ex compluribus, quae eodem tempore publicatae sunt civitatibus unam tantum nominari mirum erit? Nec vero est appellatus ab Recentore, vetere possessore. Nam nec magnus esse potuit, si fuit privati hominis; nec is vetus possessor non debebat esse vel Graecus vel Poenus, Recentoris autem nomen, si ullum est, certe est Romanum. Accedit hoc, quod communiter nec civitatis nec privati hominis illum agrum fuisse doceat. Nam cum duae omnino sint in hac lege exceptiones, una de agro Hiempsalis, de quo deinceps dicitur, altera de agro hoc Recentorico, illum non nomine indicatum esse videmus, sed tecte significatum tamquam eum, de quo foedere cautum esset: quare ne hunc quidem nomine appellatum, sed genere significatum esse existimabimus. Nimirum hoc iam relinquitur, ut genus agri indicetur. Sed quale fuit? Hoc loco Cicero ait esse haud dubie publicum, sed quia in vetusta possessione sit, aequum esse apud eos, qui possideant, relinqui; at oratione I, quam in senatu habuit, § 11 dici nonnunquam esse publicum, ut hoc loco, ut

propter hominum necessitudinem et propter aequitatem, Quirites, saepe vehementer gaudeo. Sed quae haec impudentia? Qui agrum censorium possident, vetustate possessionis se, non iure, misericordia senatus, non agri condicione defendunt. Nam illum agrum publicum esse fatentur: se moveri possessionibus, amoenissimis sedibus ac diis penatibus, negant oportere. Ac, si est privatus ager censorius, quid eum excipis? sin autem publicus, quae est ista aequitas, ceteros, etiamsi privati sint, permittere ut publici iudicentur: hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur?

Quirites, ipse vehementer. — quae est haec. — agrum Recentoricum. — antiquissimis sedibus ac dis. — ager Recentoricus.

blandiatur populo eiusque potentiam efferat, verbis rem augeri appareat. Aequitatem excipiendi agri concedit orator, pauci omnino, non optimates, opinor, sed populares, agrorum publicorum cupidi, publicum eum esse dicebant. Iam cum quattuor agrorum genera in Sicilia sint, nec foederatarum civitatum agros nec liberarum quisquam unquam dicere potuit publicos pop. Rom. esse factos, nec magis decumanum; nam is ante imperium Romanum eodem iure fuerat. Superest quartum genus, de quo in Verr. III, 6, 13 sic est: *Perpaucae Siciliae civitates sunt bello a maioribus nostris subactae: quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus, is ager a censoribus locari solet.* Nonne huius agri natura prorsus ea est, quam quaerimus? Nam constabat publicum pop. Rom. esse factum, sed quod redditus erat, plerique interpretabantur in perpetuum possessionem esse concessam, pauci posse rursus in publicum redigi. Quid igitur? si emendemus *censorius*, nonne et eum agrum teneamus, quem oportet, et verba Ciceronis optime possimus explicare? Nec profecto a codicibus multum recedemus, in quibus cum semel ex *agro censorio*, repetita prioris vocabuli ultima syllaba extitisset *ager recensorius*, *recentoricus*, constantiae causa etiam ubi alia vocabula praecedebant, error repetitus est. Quamquam profecto coniecturam hanc esse fateor, sed eam, in qua, dum Recentoricus ager melius explicetur, acquiescere possimus. — *propter hominum necessitudinem* i. e. propter eam, quam cum illis hominibus habeo necessitudinem. Constat enim Ciceronem Lilybaei in Sicilia fuisse quaestorem eamque necessitudinem postea C. Verre accusando renovasse. Sic in epist. XIII, 10 est *liberorum necessitudo* i. e. ea, quae est cum liberis, epist. XIII, 11, 3 *Bonos viros ad tuam necessitudinem adiunxeris* i. e. ad necessitudinem tecum ineundam, ibid. XIII, 19, 2 *Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias.* — *saepe vehementer gaudeo.* Magnis verbis utitur; neque enim lex Servilia ex longo tempore nota erat. Sed nulla profecto est causa, cur aut Lauredano *sane vehementer* aut Grutero *ipse vehementer* emendanti credamus. Cf. infra § 65 quod simillimum est, *semper putavi.* — *amoenissimis:* Praeclara haec est cod. Lag. 9 lectio, cum reliqui habeant *amicissimis*, quod apud poetam ferrem, apud Ciceronem tolerari non potest receperuntque fere editores Lauredani coniecturam *antiquissimis*. Cf.

Ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum alia ratione valuerunt: ceteri agri omnes qui ubique sunt, sine ullo delectu, sine populi Romani notione, sine iudicio senatus Xviris addicen-
XXII, 58 tur. Atque etiam est alia superiore capite, quo omnia veneunt, quaestuosa exceptio, quae teget eos agros, de quibus foedere cautum est. Audivit hanc rem non a me, sed ab aliis agitari saepe in senatu, nonnunquam ex hoc loco, possidere agros in ora maritima regem Hiempsalem, quos P. Africanus populo Romano

Rullum aliqua ratione.

de toto loco p. Rosc. Am. 8, 23 *nudum eiicit domo atque focis patriis disque penatibus praecipitem — exturbat*; p. Quinct. 26, 83 *At hic quidem iam de fundo expulsus, iam a suis dis penatibus praeceps eiectus*; p. Sest. 13, 30 *exterminabit cives Romanos edicto consul a suis dis penatibus? expellet ex patria*; de domo 40, 106 *uniuscuiusque vestrum sedes, aras, focos, deos penates subiectos esse libidini tribuniciae.* — *ceteros — permittere, ut publici iudicentur.* Noli attractionis genus hoc esse existimare, quod cum Graecorum sit proprium, nonnunquam apud Latinos admissum est, quale illud est Caelii apud Cic. ep. VIII, 10, 3 *Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit.* Nam raro vel unquam Cicero illo genere utitur. Hoc quidem loco dixit *ceteros agros Xviris permittere* i. e. eorum arbitrium Xviris concedere, velut paulo post est: *ceteri agri omnes — Xviris addicentur*, deinde explicandi quasi causa *ut publici iudicentur* adiecit. — *qui publicus esse fateatur.* In summo codicum consensu sententiaque aptissima (nam repetit quod antea dixerat fateri possessores agrum illum esse publicum, ut aliud verbum substituere non liceat) tuebimur deponens active positum verbumque fatendi iis ascribemus, quae etiam apud Ciceronem nonnunquam communiter usurpentur. Quod autem paulo post dicit *alia ratione valuerunt*, i. e. alia atque ea, quae ex condicione agri petitur, intelligi vult, valuisse possessores quod Rullum pecunia, corruptum esse eum. Tecte igitur significat, non aperte dicit. Madvigianum autem illud *aliqua ratione*, quod Baiterus recepit, parum placet, quod si est i. q. *alia aliqua ratione*, inutile videtur esse, sin i. q. quapiam ratione, hoc continet, quasi in condicione agri nulla ratio excipiendi insit.

58. *superiore capite,* nimirum eo, quo vectigalia populi Romani nominatim veneunt (§ 48). In futuro autem *teget*, quod sequitur, hoc inest, usuros Xviros hac exceptione, ut tegantur illi Hiempsalis agri, vere eos non tegi. Facilius igitur hoc futurum fero quam quod supra est *addicentur*, tamen ne illud quidem condemno. — *ab aliis.* Qui fuerint hi nescimus, sed suspicamur fuisse C. Caesarem eiusque amicos. Eum certe constat inimicum fuisse Hiempsali ac cum Iuba, regis filio, etiam iniuriose contendisse (Suet. Caes. 71), nec sine eius auctoritate videtur factum esse, ut C. Curio in tribunatu de regno Iubae publicando legem ferret (Dio Cass. XLI, 41). — *regem Hiempsalem.* Is tunc tenebat Numidiam Cn. Pompeii amicus, a quo cum a Numidis Marianarumque partium ducibus expulsus esset, in regnum restitutus est. Ita-

adiudicarit: ei tamen postea per C. Cottam consulem cautum esse foedere. Hoc quia vos foedus non iusseritis, veretur Hiempsal ut satis firmum sit et ratum. Quid? cuiusmodi est illud? Tollitur vestrum iudicium: foedus totum excipitur, comprobatur. Quod minuit auctionem Xviralem, laudo: quod regi amico cavet,
non reprehendo: quod non gratis fit, indico. Volitat enim ante 59
oculos istorum Iuba regis filius, adolescens non minus bene nummatus quam bene capillatus.

Vix iam videtur locus esse qui tantos acervos pecuniae ca-

que eiusdem Cn. Pompeii auctoritate existimo foedus illud a C. Aurelio Cotta, cos. anni 75, iunctum esse, quo regi agri quidam provinciae Africae, quos possidebat, confirmati sunt: quod foedus ne a pop. Romano iuberetur, rursus impeditum esse ab inimicis Pompeii. Nec ipsi illi agri, de quibus contendebatur, quales fuerint constat, sed credimus facile interpretibus esse eos, de quibus olim certatum sit inter Masinissam et Poenos: deleta autem Carthagine P. Scipio etsi causa cognita iudicavit fuisse Poenorum ideoque ad novam provinciam Africam adiungendos, reliquit in possessione Masinissae, qui successoribus suis tradidit. Recepimus autem Lambini coniecturam *ei tamen* (nam cod. habent *et tamen*) i. e. regi Hiempsali, ut orat. I, 4 est *si Hiempsali satis est cautum foedere*. — *Quid? cuiusmodi est illud?* Narratione de agris Hiempsalis absoluta amplificationem quandam addit. *Quid* transitum quasi parat; *cuiusmodi est illud?* intellige quale illud, quod Rullus fert, esse putatis? Quamquam quanta hoc loco cavillatione Cicero utatur, non obscurum est. Quomodo enim tollitur iudicium populi? Qui si hanc legem Serviliam, in qua de agris Hiempsalis scriptum est, iubet, simul de iis indicat. Deinde si in hac lege ii agri excipiebantur, de quibus foedere cautum esset (nec alia legis verba fuisse etiam ex orat. I, 4, 11 colligemus), numquid cavetur Hiempsali, comprobatur eius foedus? Nonne Xviris non minus quam cuiquam ante legem Serviliam, licebat dicere, foedus illud, quia iniussu populi factum esset, non esse ratum habendum? Itaque invidiae faciendae occasionem quaerit Cicero, Rullum ipsum, cum illud de foederibus scriberet, de aliis agris cogitasse putabimus. — *quod non gratis fit, indico.* Particulam *quod* h. l. pro accusativo et infinitivo poni noli existimare. Nam *indico hoc non gratis fieri* ad totam actionem pertinet: nunc ex actione unum hoc, quod non gratis fit, quasi eligit idque indicat. Notabilis tamen hic locus est, quem aliter Cicero conformasset, nisi rite anaphoram efficere voluisset.

59. *Iuba, regis filius.* Est is, quem hoc tempore Romae versatum esse ex contentione eius cum C. Caesare, quam commemoravi, intelligimus: qui cum non multo post Hiempsali patri successisset, Pompeium in bello civili adiuvit victusque a Caesare ad Thapsum periit. Quod autem Iubam appellat *bene capillatum*, patrium ille morem imitabatur; nam Mauros capillo longo cincinnisque caput exornasse et Strabo XVII, p. 828 narrat et nummi testan-

piat. Auget, addit, accumulat: *aurum, argentum ex praeda, ex manubiis, ex coronario, ad quoscunque pervenit neque relatum est in publicum neque in monumento consumptum,* id profiteri apud Xviros et ad eos deferri iubet. Hoc capite etiam quaestionem de clarissimis viris, qui populi Romani bella gesserunt, iudiciumque de pecuniis repetundis ad Xviros translatum videtis:

59. *ad eos referre.*

tur. — *ex praeda, ex manubiis.* Haec etiam orat. I, 4, 12 et in Verr. III, 80, 186 coniungit, sed quid inter praedam et inter manubias intersit, parum constat. Nec certe vere disputat Gell. XIII, 24 praedam dicens esse corpora ipsa rerum, quae captae sunt, manubias pecuniam a quaestore ex venditione praedae redactam. Sed illud intelligimus manubias esse partem praedae, quae ad imperatorem solum pertineat, qua libero eius arbitrio consumi possit, sed quae illa pars fuerit et unde redacta et quanta, incertum est nec Pseudo-Ascon. ad Cic. in Verr. I, 60 p. 199 et 200 satis recte videtur definire. — *coronario* i. e. aure. Nam consuetudo erat, ut coronae aureae sive pro iis pecuniae ad decorandum triumphum ab sociis darentur, initio rei facto a Graecis civitatibus, apud quas non homines solum, sed ipsas civitates coronare i. e. coronis oblatis ornare moris erat. Cum res in vanam gloriationem et magis etiam ad expilandas provincias processisset, C. Caesar cos. anno 59 tulit, ne coronae nisi ad verum et ab senatu decretum triumphum aut decernerentur aut acciperentur. Sed illud ex hoc ipso loco discimus, coronas populo Romano, qui sub imperatoris quasi persona triumpharet, dari consuesse: quare coronarium in aerarium publicum redigebatur, sed ita, ut imperatori eo ad monumenta i. e. aedificia publica condenda uti liceret. — *in monumento consumptum.* Turnebus ex nescio quo codice suo commendabat *in monumentum;* sed nunquam ita Cicero dicit, semper *consumere in aliqua re,* emendatumque nunc est, quod olim p. Planc. 30, 73 legebatur *ut omne studium meum in Cn. Plancii honorem consumerem.* — *ad eos deferri iubet.* Priores editores scripserunt *referre* atque utrumque verbum h. l. aptum est. Nam *deferimus,* quod lege vel instituto vel ratione afferre iubemur, *referimus,* quod tamquam utendum accepimus, ut debiti significatio utriusque verbi communis sit. Itaque, etsi semper dicitur *in publicum* sive *in aerarium referre,* imperatores tamen ad Xviros modo *deferre,* modo *referre* debere pecuniam dicuntur. Nam § 60 est *referre debeat,* § 61 *reportare,* orat. I, 4, 12 *referri iubet,* sed § 13 *protinus ad Xviros deferat.* Quare h. l. optimum cod. sequendum esse putavimus, etiam in eo, quod passivum habet *deferri.* Sic enim orat. I § 12 de eadem re est *referri iubet,* variatioque activi et passivi eadem est infra § 72. — *iudicium de pecuniis repetundis.* Pugnat h. l. acriter Garatonius, male de iudicio repetundarum dicere iuberi Ciceronem emendandumque esse, quid scribendum sit, non addens. Neque enim repetundarum hoc iudicium futurum, sed vel peculatus vel pecuniae residuae. Equidem de quaestionibus perpetuis, quae hoc tempore apud Romanos fuerint, non dicam; illud unum indico, earum divisionem ac rationem longe aliam fuisse videri ac

horum erit nullum iudicium, quantae cuiusque manubiae fuerint, quid relatum, quid residuum sit. In posterum vero lex haec imperatoribus nostris constituitur, ut quicunque de provincia decesserit, apud eosdem Xviros quantum habeat praedae, manubiarum, auri coronarii profiteatur. Hinc tamen vir optimus eum, 60
quem amat, excipit Cn. Pompeium. Unde iste amor tam improvisus ac tam repentinus? Qui honore Xviratus excluditur prope nominatim, cuius iudicium legumque datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur, cuius non in provinciam, sed in ipsa castra Xviri cum imperio, infinita pecunia, maxima potestate et iudicio rerum omnium mittuntur, cui ius imperatorium, quod semper omnibus imperatoribus est conservatum, soli eripitur, is excipitur unus, ne manubias referre debeat. Utrum tandem hoc capite honos haberi homini an invidia quaeri videtur? Remittit hoc Rullo Cn. Pompeius: beneficio isto legis, benigni- 61, XXIII
tate Xvirali nihil utitur. Nam si est aequum praedam ac manubias suas imperatores non in monumenta deorum immortalium

horum erit nunc iudicium. — imperatoribus vestris. — 60. Hic tamen.

vulgo nunc putatur. Repetundarum quidem quaestio latissime patet in iisque, qui provincias rexerunt, plerumque exercetur: quare fieri potest, ut etiam de peculatu sive de pecuniis residuis iudicio repetundarum quaeratur exemploque potest esse celeberrima illa causa Verrina, quae cum multa ac varia crimina complecteretur, ex quibus nonnulla haud dubie ad peculatum potius quam ad pecuniam ab sociis contra leges captam pertinerent, uno tamen repetundarum iudicio acta est: quam cum persequeretur Cicero, saepius minatus est, se illum, si repetundarum absolveretur, de peculatu repetiturum (in Verr. I, 4; III, 36). Cur igitur h. l. repetundarum mentionem fieri posse negemus? Cf. supra ad § 34. — *horum erit nullum iudicium.* Exequitur paulo pluribus, quod § 34 de potestate Xvirum dixerat: *de illis interea nemo iudicabit.* Itaque *horum* est *de his,* i. e. Xviris, ac genitivum non tantum rei (nam id frequentissimum, velut § 54 et 60 *iudicium omnium rerum*), verum etiam hominis hac significatione voci iudicii addi posse docent multa exempla, velut ad Att. I, 16, 9 *in unius hominis perditi iudicio plures inventi.* Editores quidem adhuc omnes cum *horum erit iudicium* activo intelligerent *hi iudicabunt,* quia sententiam perversam effici videbant, verba haec sine ullo dissensu in cod. tradita varie vexarunt. Cum acerba autem irrisione a Xviris quoque in provinciis res geri significat manubiasque eorum commemorat.

60. *Hinc,* i. e. ex hoc, quod postremo dixit, omnes imperatores oportere praedam et manubias apud Xviros profiteri. Editores quidem scripserunt contra cod. auctoritatem *hic,* quod quis vituperet? Sed illud est exquisitius. — *amor.* Non minore cum simulatione dicitur quam quod antecedit *quem amat* i. e. quem perpetuo se amare ac magni facere lege sua testatur, nec hercle

neque in urbis ornamenta conferre, sed ad Xviros tamquam ad dominos reportare, nihil sibi appetit praecipue Pompeius, nihil: vult se in communi atque in eodem quo ceteri iure versari. Sin est iniquum, Quirites, si turpe, si intolerandum hos Xviros portitores omnibus omnium pecuniis constitui, qui non modo reges atque exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant, non mihi videntur honoris causa excipere Pompeium, sed metuere, ne ille eandem contumeliam quam ceteri ferre non
62 possit. Pompeius autem hoc animo sit, ut, quicquid vobis placeat, sibi ferendum putet: quod vos ferre non poteritis, id pro-

61. *praecipui.* — *imperatores vestros.* — 62. *animo est.*

video, cur in eo quidam interpretes offenderint. — *legumque datio.* Cf. ad § 52, ibidemque de *iure imperatorio.* Insigni autem cum brevitate genitivum *captorum agrorum* cum cognitionis voce coniungit. Cf. § 59 et 33.

61. *reportare.* Cf. supra ad § 59. — *nihil sibi appetit praecipue,* i. e. appetit separatim sibi ac melius quidem aliis, unde nascitur quod *ius praecipuum* dicitur. Coniunge igitur *sibi praecipue;* nec enim opus est Orelliana coniectura *praecipui* appetendique verbo cupiditas satis indicatur. Solet autem praecipuum ei, quod commune est, opponi, ut p. Rab. 1, 4 *labor in hoc defendendo praecipue meus est, studium vero conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit;* p. Sulla 29, 82 *Neque ego praecipue de consularibus disputo; nam haec — universi senatus communis est laus;* p. Sulla 4, 12 *cum communibus, tum praecipuis patris tui periculis commovebatur;* ad Att. XI, 14, 1 *cum communibus tum praecipuis malis oppressum;* epist. IV, 3, 1 *in communibus miseriis praecipuo quodam dolore angi,* saepius. — *portitores* sunt perscrutatores mercium, qui in portubus constituuntur. Cf. in Vat. 5, 12 *missusne sis a me consule Puteolos, ut inde aurum exportari argentumque prohiberes? in eo negotio cum te non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces missum putares, cumque omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere* rel.

62. *Pompeius autem hoc animo sit.* Pergit in ratione, quam de Pompeio instituit, afferens, quod cum opinione Xvirum modo exposita quodammodo pugnet. Etenim illi exceperunt Pompeium, quod eum, si ipse exceptus ex iniuria esset, de ceteris quieturum esse putabant, Cicero autem alio eum animo esse atque ita sentire ait, ut suo commodo neglecto populi tantum utilitatem curet. Coniunctivus autem *sit* non est optantis, quae opinio cum esset fere interpretum, quoniam, cui is animus optaretur, eum alio esse, Pompeium autem hoc loco laudari videbant, contra codices scripserunt *hoc animo est;* sed est ille coniunctivus concedentis: etiamsi Pompeius hoc animo est, ut suas iniurias, si populo ita placeat, ferat, tamen populi ipsius iniurias non ferat. Laudat igitur eximie Pompeium cumque sui oblitum populo uni inservire ait. Sed necessario hoc fecimus, ut cum Iuntino editore scriberemus *per-*

fecto perficiet, ne diutius inviti ferre cogamini. Veruntamen cavet, ut, *si qua pecunia post nos consules ex novis vectigalibus recipiatur, ea Xviri utantur;* nova porro vectigalia videt ea fore, quae Pompeius adiunxerit. Ita remissis manubiis, vectigalibus eius virtute partis se frui putat oportere.

Parta sit pecunia, Quirites, Xviris tanta, quanta sit in terris, nihil praetermissum sit, omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint, accesserint in cumulum manubiae vestrorum imperatorum: quantae et quam immanes divitiae Xviris in tantis auctionibus, tot iudiciis, tam infinita potestate rerum omnium quaerantur videtis. Cognoscite 63, XXIV
nunc alios immensos atque intolerabiles quaestus, ut intelligatis ad certorum hominum importunam avaritiam hoc populare legis agrariae nomen esse quaesitum. Hac pecunia iubet agros emi,

perficiat. — *quanta est.*

ficiet; ipsa particula *profecto,* quae adiecta est, modum certo pronuntiantem requirit. — *Veruntamen.* Redit ad exceptionem in Pompeio factam causisque cur facta sit interiectis nullam eam proprie esse parique iniuriae lege Pompeium contineri exponit. Brevius idem executus est orat. I § 13 *sed cui manubias remittit, in huius vectigalia invadit.* — *Parta sit pecunia.* Absolutis iis quae de venditione dicenda erant, ad novum caput de emptione aggreditur concluditque priorem locum coniunctivo, qui tamquam concedat superiora reliquamque de iis disputationem a se omitti significet, quasi dicat: Esto, parta sit pecunia: quid iam ea facturi estis? Nam parenthesis cuiusdam loco interposita sunt, quae proxime sequuntur, *quantae — divitiae — quaerantur videtis.* Sed ut coniunctivi eleganter procederent, opus erat Lauredani coniectura *praetermissum sit, omnes urbes,* pro qua quod codices praebent *praetermissum, sed omnes urbes,* mire orationem infirmat. Dubitationem autem attulit primum *quanta sit in terris,* pro quo Wesenberg. ad orat. p. Sest. p. 48 scribit *quanta est in terris.* Quod si reperiretur in codicibus, nemo vituperaret; sed cur non etiam coniunctivum feramus, qui totam hanc conficiendae pecuniae rationem, ut minime certa erat nec accidere poterat nisi accepta lege, in cogitatione positam esse significet? Varie haec possunt pronuntiari vitandaeque in talibus etiam leviores codicum mutationes, ne scriptorem ipsum emendemus. Alterum notandum est illud, quod h. l. appellat *vestros imperatores,* cum supra § 61 sit *imperatores nostros.* At illic opponebantur *exterarum nationum homines,* hic adiunguntur *vectigalia vestra.* — *accesserint in cumulum,* ut p. Cluent. 27, 74 *ut ad cumulum spe maiorum praemiorum ipsius Staieni sententia septima decima accederet.* Sed poterat etiam dicere, idque longe frequentius fit: *accesserit cumulus manubiarum* sive *ex manubiis* sive *manubiis.*

quo deducamini. Non consuevi homines appellare asperius, Quirites, nisi lacessitus. Vellem fieri posset, ut a me sine contumelia nominarentur ii, qui se Xviros sperant futuros: iam videretis, quibus hominibus omnium rerum et vendendarum et emen-
64 darum potestatem permitteretis. Sed quod ego nondum statuo mihi esse dicendum, vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare. Unum hoc certe videor mihi verissime posse dicere: tum, cum haberet haec respublica Luscinos, Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, verum etiam patientia paupertatis ornatos, et tum, cum erant Catones, Phili, Laelii, quorum sapientiam temperantiamque in publicis privatis,

64. *privatisque.*

63. *appellare asperius.* Appellare est nomine suo proprio vocare, ut in Verr. III, 91, 212 *C. Marcelle, te appello*, p. Rosc. Amer. 28, 77 *Te nunc appello, P. Scipio, meministine*, p. Cluent. 24, 65 *Te, Oppianice, appello, te, Atti*, p. Mur. 38, 81 *Te appello, Cato, nonne prospicis tempestatem?* Est igitur adverbium additum, ut p. imp. Pomp. 5, 11 *Legati quod erant appellati superbius*, et epist. VI, 6, 10 *nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellat.* Dicit se in deteriorem partem homines suis nominibus appellare non solere: in laudando nomina ipsa ponit, ubi reprehendit, genus hominum significat. Tum sic pergit: Iam eorum, qui se Xviros sperant futuros, nomina ponere non possum nisi contumelioso aliquo verbo addito: quod si possem, ex ipsis nominibus quam cupidi, quam avari homines essent, intelligeretis. Imprimis Caesarem et Crassum illum Divitem dicit, ex quibus illi ad consumendum, huic ad habendum nihil satis esse videbatur (§ 65). Sed maiorem suspicionem tacita hac significatione excitat, quam si quod certe scire non poterat, dixisset. Gravem autem codicum non *vellem*, sed *velim* exhibentium errorem rectissime sustulit Ernestius.

64. *tum, cum haberet.* At postea est *tum cum erant.* Nimirum incipit ab indirecta oratione, transit in directam. *Luscinus* cognomen est C. Fabricii, cos. ann. 282 et 278 a. Chr., cuius continentia celebris est in contemnendis Samnitium et Pyrrhi donis. Paupertatem quidem laudat etiam Tusc. III, 23, 56 ac Plin. XXXIII, 153 pateram tantum et salinum ex argento habuisse tradit. *Calatinus* cognomen est A. Attilii, qui reip. princeps fuit primi belli Punici tempore, cos. ann. 258, dictator primus rei extra Italiam gerendae causa dictus ann. 249, censor ann. 247, quem, qui a senatu ad arcessendum missi erant, semina sua manu spargentem invenerunt (Val. Max. IV, 4, 5). *Acidinus* cognominatur L. Manlius cos. ann. 179 a. Chr., quem virum egregium fuisse testatur Cic. de orat. II, 64, 260; de eiusdem paupertate nihil aliunde compertum. — *Catones, Phili, Laelii.* Cato est M. Porcius censorius ille, cos. ann. 195, Carthaginis delendae constantissimus auctor, deinde L. Furius Philus, cos. ann. 136, doctrina et moderatione insignis, C. Laelius, cos. ann. 140, sapientia nobilis et Africani, qui Carthaginem delevit, amicus. Lau-

forensibus domesticisque rebus perspexeratis, tamen huiuscemodi res commissa nemini est, ut idem iudicaret et venderet et hoc faceret per quinquennium toto in orbe terrarum idemque agros vectigales populi Romani abalienaret, et cum summam tantae pecuniae, nullo teste, sibi ipse ex sua voluntate fecisset, tum
denique emeret, a quibus vellet quod videretur. Committite vos 65
nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc Xviratum suspicamini, reperietis partem esse eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad consumendum nihil satis esse videa-
tur. Hic ego iam illud, quod expeditissimum sit, ne disputo XXV

65. *expeditissimum est.*

dat autem hos tres Romanorum principes propter sapientiam et temperantiam Cicero etiam in ea, quam paulo post habuit oratione p. Mur. 31, 66, ubi cf. nostra nota. Utroque autem hoc loco memorabile est a codicum ms. librariis *Phili* nomen corruptum esse in *Philippum*; illo Manutius Philum restituit, hoc Sigonius. — *in publicis privatis, forensibus domesticisque.* Non improbo quod olim edebatur *in publicis privatisque, forensibus domesticisque*, ut etiam publica privatis per particulam *que* opponantur. Sed quis prius *que* omitti vituperet? Nam si Cicero in epistola elegantissime scripta (I, 8, 5) dicit *in omnibus publicis privatis forensibus domesticis tuis, amicorum, hospitum, clientium tuorum negotiis*, cur hic non extremae voci particulam adinogat? — *idem iudicaret et venderet.* Pronomen *idem* ad vendendum et iudicandum pertinet, tum in altera sententia ad abalienandos et emendos agros, sed interiecit, quae de tempore potestatis et emptionis erant. Apparet autem, quam oratorie Cicero dicat; quae tria ab iisdem hominibus fieri Rullus iubebat, ut iudicarent et venderent et emerent, ea ipse diduxit. — *cum summam — fecisset* i. e cum totam coegisset, ut in Verr. II, 53, 131 *potestas omnis aestimationis habendae summaeque faciendae censori permittitur*; ep. I, 9, 10 *circumspectis rebus meis omnibus rationibusque subductis summam feci cogitationum mearum omnium.* Quod autem est *nullo teste* pertinet ad ea quae §56 sunt *ne praecone quidem publico teste vendent.*

65. *Committite vos nunc* seq., i. e. si committetis his hominibus haec omnia, reperietis partim esse avaros, partim prodigos. Cf. ante § 63, ubi si ipsa nomina eorum, qui se Xviros futuros sperarent, audirentur, intellecturos omnes eorum avaritiam dixerat. Notandum autem est *odorandi* verbum, quod cave credas interpretibus esse i. q. petere. Hoc enim nunquam valet. Est potius investigare, significatque illos homines avaros, cum explendae avaritiae causa rempublicam perquirerent, ipso odore eo adductos esse, ut hunc Xviratum invenirent atque excogitarent. Deinde *partem esse eorum* est i. q. partem constare ex iis, ut genitivus generis sit ac qualia parte contineantur, significet. Pronomen autem *vos* imperativo addidit (cf. § 95), quia diversum morem maiorum commemorarat. — *quod expeditissimum sit.* Indicativum *est* commendavit Wesenberg. ad Cic. p. Sest. p. 48, neque eum bonum esse nego.

quidem, Quirites, non esse hanc nobis a maioribus relictam consuetudinem, ut emantur agri a privatis, quo plebs publice deducatur: omnibus legibus agris publicis privatos esse deductos: huiuscemodi me aliquid ab hoc horrido ac truce tribuno plebis fateor expectasse: hanc vero emendi et vendendi quaestuosissimam ac turpissimam mercaturam alienam actione tribunicia, alienam 66 dignitate populi Romani semper putavi. Libet agros emi. Primum quaero, quos agros et quibus in locis? nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe et caeca expectatione pendere. Albanus ager est, Setinus, Privernas, Fundanus, Vescinus, Falernus, Literninus, Cumanus, Acerranus. Audio. Ab

plebes. — plebis exspectasse. — 66. Iubet agros. — Cumanus, Casilinas. Audio.

Sed cur non Cicero, quod certe vult, facillime de ea re se posse disputare, coniunctivo exprimat? — *agris publicis* i. e. de agris publicis. Explicationi enim inserviunt, quae § 68 sunt: *Ne ii quidem, qui agros publicos possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima condicione et pecunia maxima.* Vetus igitur mos erat, nt non in emptos agros, sed in eos, ex quibus possessores eiecti erant, plebs deduceretur. — *fateor expectasse.* Carent codices ms. praeter Lag. 9 et nimirum editiones adhuc omnes verbo *fatendi,* quo absente perit sententia. Ut enim rectissimum est: non disputo illud, non esse hanc maiorum consuetudinem, ita certe absurdum est: non disputo me tale aliquid ab hoc tribuno expectasse. Quasi vero de hac sua expectatione longiorem disputationem suscipere voluerit, de qua quod dicit, parenthesis quasi loco interiectum esse videmus. Quod autem Rullum *horridum* et *trucem* appellat, explicavit ipse supra § 13. Notandus etiam est abl. *truce,* qui in omnibus libris ms. reperitur; nam Pacuvius apud Cic. de div. II, 64, 133 habet *truci.*

66. *Albanus ager est* cet. Per viam Appiam ad meridiem profectus oppida enumerat Albam, Setiam, Privernum, Fundos, Vesciam; nam etsi codices omnes habent *Vestinus,* quia Vestinorum gens procul ab hac regione ad mare superum sita est, tamen *Vescinus* scribendum esse intellexit Cluver. Ital. antiq. p. 1082. Tum ad mare accedens commemorat agrum Falernum, qui est a monte Massico usque ad Vulturnum fluvium, Liternum, exilio P. Africani nobile, cuius agrum *Literninum* appellandum esse docuit Gehhardt. observ. crit. in Cic. orat. de leg. agr. fasc. III p. 7, Cumas. Atque haec quidem aperta sunt, sed qui sequitur ager, in codicibus appellatur fere *Ancasianas,* qui ab editoribus scriptus est *Casinas,* parum certe recte. Nam Casinum situm est in montibus et quidem inter Fundos et Vesciam, quod qui h. l. nominatum esse putet, Ciceronem non modo a mari prorsus discedere, sed etiam longe regredi statuat. Nec profecto ita litterae in codicibus traditae serventur. Quare cum alii *Casilinas,* Gebhardt. l. l. *Neapolitanus* coniecerint, nos scripsimus *Acerranus;* nam Acerrae oppidum et ultra Cumas est nec multum a mari recedit nec denique nomen a codicum fide nimis discre-

alia porta Capenas, Faliscus, Sabinus ager, Reatinus, Venafranus, Alifanus, Trebulanus. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros et ceteros horum similes non modo emere, verum etiam coacervare possis: cur eos non definis neque nominas, ut saltem deliberare plebs Romana possit, quid intersit sua, quid expediat, quantum tibi in emendis et vendendis rebus committendum putet? Definio, inquit, Italiam. Satis certa regio. Etenim quantulum interest, utrum in Massici radices, an in Italiam alio deducamini? Age, non definis locum. Quid? naturam agri? Vero, 67
inquit, *qui arari aut coli possit.* Qui possit arari, inquit, aut coli, non qui aratus aut cultus sit. Utrum haec lex est an tabula Neratianae auctionis? in qua scriptum fuisse aiunt: *iugera cc, in quibus olivetum fieri potest: iugera ccc, ubi institui vineae possunt.* Hoc tu emes ista innumerabili pecunia, quod arari aut coli possit? Quod solum tam exile aut macrum est, quod

Sabinus, Reatinus. — plebes. — et in vendendis. — an in Apuliam aliove deducamini. — 67. Veratianae. — exile et macrum.

pans habet. Tum *ab alia porta* i. e. Flaminia ad septontrionem egressus commemorat Capenatem agrum, ab vetere oppido Capena dictum, et Faliscum, qui est circa Falerios, et Sabinum, quem veteres Sabini habuerant, ex quo ipso Sabino agro Reate nominat; sed inde dextrorsum conversus montanam regionem persequitur Venafrum nominans et Alifas et Trebulam, dum fere ad eundem locum pervenit, quo via Appia accesserat. Ita optimum agrum Italiae circa urbem Romam situm complectitur. — *coacervare*, ut supra orat. I, 5, 14 *constructam et coacervatam pecuniam*, infra § 71 *pecuniae coguntur et coacervantur.* — *in Italiam alio deducamini.* Adhuc sic edebatur: *in Italiam aliove deducamini*, quod cum vitiosum esse appareret (quis enim unum illum locum, qui ad Massici radices est, toti Italiae ita opponat, ut Massicus extra Italiam positus esse videatur?), Sigonius emendavit *in Apuliam aliove* receperuntque id alii, alii, quamvis vitium agnoscerent, de remedio desperabant. Nunc vix dubitatio relinquetur. Nam cum cod. Lag. 9 exhibeat *aliove ducamini*, particulam *ve* cum prima verbi syllaba confusam esse atque inde errorem extitisse videmus. Massicus autem mons, ut diximus, ab initio agri Falerni est celebraturque imprimis propter vini praestantiam, quae facit, ut plus ex eo redeat quam ex ullo alio Italiae agro.

67. *Vero* etiam sine pronomine et sine verbo respondentis est, vide ad p. Mur. 31, 65. Discernit autem agrum, qui *arari* possit, ut frumenta ferat, ab eo, qui *coli* possit, in quo olivetum vel vinea instituitur. — *Neratianae:* Sic optimum cod. secuti scripsimus; reliqui fere *Veratianae* tuentur. Sed sunt et Neratii et Veratii: quis igitur, cum auctio ipsa alias non commemoretur, decernat? Eademque varietas reperitur p. Flacco 20, 46. — *exile aut macrum.* Sic codicum auctoritas postulat, non *exile et macrum*, quod adhuc

aratro perstringi non possit? aut quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret? Idcirco, inquit, agros nominare non possum, quia tangam nullum ab invito. Hoc quoque multo est quaestuosius, quam si ab invito sumeret: invenietur enim ratio quaestus de nostra pecunia et tum denique ager emetur, cum idem expediet emptori et venditori.

XXVI, 68 Sed videte vim legis agrariae. Ne ii quidem, qui agros publicos possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima condicione et pecunia maxima. Conversa ratio. Antea, cum erat a tribuno plebis mentio legis agrariae facta, continuo, qui agros publicos aut possessiones invidiosas tenebant, pertimescebant. Haec lex eos homines fortunis locupletat, invidia liberat. Quam multos enim, Quirites, existimatis esse, qui invidiam Sullanorum agrorum ferre non possint? qui vendere cupiant, emptorem non

Hoc, Quirites, multo. — sumeret: inibitur. enim. — de vestra pecunia. — 68. Ne ei quidem. — aut qui possessiones. — extimescebant.

edebatur. Et interesse aliquid puto inter exile et macrum. Huic opponitur pingue solum, illi spissum ac grave (Colum. II, 2, 2). Ideoque dicit *aratro perstringere* i. e. leviter aratro quasi radere, ut sulcus non alte descendat nec vomer deprimatur. *Saxetum* autem uno hoc loco reperitur; nam apud Colum. II, 10, 9 dubium est. — *Hoc quoque* i. e. non modo hoc quaestuosum erit, quod non emet nisi a volente, sed etiam illud, quod naturam agri emendi non definit pessimumque maxima pecunia comparabit. Paulo post redii ad Lambini emendationem *invenietur*, quod ea propius ad litteras in cod. servatas videbatur accedere quam quod editores nunc praeferunt *inibitur*. Nam per se utrumque probandum est. Rectius autem sine dubio scripsimus *de nostra pecunia*, non *de vestra p.*, ut damnum secum communicet. Cf. supra ad § 29.

68. *Ne ii quidem, qui agros publicos possident.* Antea dixerat de iis, qui agros steriles Xviris maxima pecunia venditari sunt; nunc de iis dicit, qui item pecunia maxima venditari sint, agri publici possessoribus. Sed qui sunt hi? Certe non ii, qui antiquitus agros modo populis subiectis ademptos possederant, cum quibus Gracchi pugnarunt: nam horum possessiones dudum ab iis, qui post Gracchos extiterunt, tribunis confirmatae erant nec rursus ullo pacto moveri poterant. Dicuntur igitur ii, qui Sullanis temporibus agros publicos possederunt, vel eos, qui publicati necdum divisi erant, qui a paucis tenebantur (cf. orat. III, 3, 12), vel eos, qui in coloniis Sullanis erant, quos coloni contra ac lege praescriptum erat, abalienarant (cf. infra § 78). — *Conversa ratio*, i. e. contra nunc est ac solebat esse. Cic. ad Att. VIII, 13, 2 *Et vide, quam conversa res est;* Sull. fragm. 51, 13 (ed. Kritz.) *Et quaeso considerate quam conversa rerum natura sit.* — *possessiones invidiosas.* Dicuntur ii, qui bona proscriptorum a Sulla emerant, qui cum Sul-

reperiant? perdere iam denique illos agros ratione aliqua velint? Qui paulo ante diem noctemque tribunicium nomen horrebant, vestram vim metuebant, mentionem legis agrariae pertimescebant, ii nunc etiam ultro rogabuntur atque orabuntur, ut agros partim publicos, partim plenos invidiae, plenos periculi quanti ipsi velint Xviris tradant. Atque hoc carmen hic tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit: habet socerum, virum optimum, qui tantum agri in 69
illis reipublicae tenebris occupavit, quantum concupivit. Huic subvenire vult succumbenti iam et oppresso, Sullanis oneribus gravi, sua lege ut liceat illi invidiam deponere, pecuniam con-

ei nunc. — 69. iam et presso Sullanis oneribus gravissima lege.

lanae leges collabi inciperent, vix hoc obtinere poterant, ut non iniuste tot homines miseros suis agris eiecisse eosque veteribus dominis restituere debere viderentur. Qui si pro agris pecuniam accipiunt, invidia liberantur. Significat autem cum alios, tum, ut coniicio, M. Crassum, quem iam ante § 65 tecte perstrinxerat, qui Sullanis auctionibus ad possessiones suas augendas praeter ceteros usus erat. — *diem noctemque.* Lag. 9 habet *diu noctuque*, quod antiqui, non Cicero dixerunt. Is *dies noctesque*, ut ad Att. VII, 9, 4; p. Dei. 13, 38, p. Rosc. Am. 2, 6, p. Marcello 7, 22, et *dies et noctes* ad Att. XII, 46; *dies atque noctes* infra § 77; sed etiam inverso ordine *noctes diesque* in Verr. Act. I, 17, 52; lib. V, 43, 112, *noctes et dies* Tusc. V, 25, 70 et 39, 113; de orat. I, 61, 260; Brut. 90, 308; *noctes ac dies* p. Arch. 11, 29. Solet igitur pluralem ponere, nec singularem reperi nisi uno hoc loco: quamquam eo utuntur alii boni scriptores, ut Caes. bell. Gall. VII, 42 et 71, bell. civ. I, 62 *diem noctemque* et saepius Livius. Quare nulla causa est, cur Lambino *dies noctesque* corrigenti credamus. — *plenos periculi.* Nam quia Sullanae proscriptiones et auctiones improbabantur, periculum erat, ne hi agri iis qui emissent, pretio non reddito adimerentur. Cf. paulo post § 69 *periculo liberetis.* — *hoc carmen — sibi intus canit.* Proverbium Graecum esse ait Cicero in Verr. I, 20, 53, sumptum a statua Aspendii citharistae, quem omnia intus canere dicebant, i. e., ut existimo, statua illa facta erat tanta arte, canentisque vultum atque habitum ita exprimebat, ut, cum nullum sonum ederet, intus canere videretur. Similiter igitur Rullus illam Sullanarum possessionum confirmationem non aliorum causa suscepit, sed sua suorumque causa propter socerum suum.

69. *habet socerum.* Eum nominat in orat. III, 1 *Valgium*, quem non oratorie, sed vere ait tantum occupasse, quantum concupisset. Nam, quod orat. III, 4, 14 commemorat, proscriptorum ille agros, qui divisi non erant, nullo iure, nulla auctione, cupiditate sola ductus possedit. — *succumbenti — gravi.* Haec, quae scripsimus, codicum auctoritas postulat, commendat etiam sententia. Nam cur non ea res, qua opprimitur et succumbit, cogitatione suppleatur? Ut de fin. II, 29, 95 est: *turpe esse, viri non esse debilitari do-*

dere. Et vos non dubitatis quin vectigalia vestra vendatis, plurimo maiorum vestrorum sanguine et sudore quaesita, ut Sulla-
70 nos possessores divitiis augeatis, periculo liberetis? Nam ad hanc emptionem Xviralem duo genera agrorum spectant, Quirites. Eorum unum propter invidiam domini fugiunt, alterum propter vastitatem. Sullanus ager a certis hominibus latissime continuatus tantam habet invidiam, ut veri ac fortis tribuni plebis stridorem unum perferre non possit. Hic ager omnis, quoquo pretio emptus erit, tamen ingenti pecunia nobis inducetur. Alterum genus agrorum propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum emetur ab iis, qui eos vident sibi esse, si non vendiderint, relinquendos. Et nimirum idem est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu, urbanam plebem

70. *pretio coemptus.* — *nimirum id est.*

lore, frangi, succumbere, opprimi vero et *oppressus* saepe sic dicitur, quidni h. l. *possessionum latitudine* cogitetur? Sed quod est *sua lege*, pronomen adiectum ac praepositum est necessario, ut ab aliis legibus, ex quibus retinere non liceret, distingueretur. *Condere pecuniam* est in futurum usum reponere, ut quando opus sit, depromat.

70. *spectant.* Agros quasi viventes inducit, tamquam ipsi ab Xviris emi velint, sed in vulgarem usum haec προςωποποιΐα abiit. — *latissime continuatus*, ut latifundia existerent, quibus perisse Italiam scribit Plin. nat. hist. XVIII, 35. Nec tantum proscriptorum bona emendo agros continuaverant, sed etiam colonorum Sullanorum sortes contra legem, quae venire vetabat, coemerant (cf. infra § 78); quae tamen sortes, quia vi civitatibus ereptae erant, non minus quam proscriptorum bona, laborabant invidia. — *stridorem*, sibilum, quasi de serpente dictum, qui antequam prorumpit, stridit. Est igitur pro *minis*. Quod autem sequitur *inducetur*, item est infra § 98 *ut iidem partim invidiosos agros a Sullanis possessoribus, partim desertos ac pestilentes a vestris necessariis et a vobismet ipsis emptos populo Romano induceretis*, plenius, ut origo ac sententia intelligatur, in Verr. I, 41, 106 *Tutores pecuniam praetori si — dedissent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, non videbant.* Nec vero scribendum est *coemptus erit*; unum enim id agit, ut minimo emisse possessores dicat, plurimo vendere; quare quod in optimo Lag. 9 est *emptus erit* praetuli. — *Et nimirum idem est.* Sic scribi utique et postulat codicum auctoritas et patitur sententia. Hoc enim dicit: Ad eandem rem, ut in pestilentes agros plebem deducere velint, pertinet hoc, quod eam dixit esse exhauriendam: prior causa fuit, quod pestilentium agrorum possessores maxime vendere volent Xvirosque ut emant pecunia movebunt. Quod autem antecedit *emetur ab iis* est i. q. emetur de iis; utraque enim ratione dicitur. Cf. § 98, quem locum modo citavimus. —

nimium in republica posse: exhauriendam esse; hoc enim est usus, quasi de aliqua sentina ac non de optimorum civium genere loqueretur. Vos vero, Quirites, si me audire vultis, retinete 71, XXVII istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum: nisi forte mavultis relictis his rebus atque hac luce reipublicae in Sipontina siccitate aut in Salpinorum pestilentiae finibus Rullo duce collocari. At dicat, quos agros empturus sit;

hoc enim verbo est.

hoc enim est usus i. e. hoc dixit. Editores quidem omnes ab Hervagio contra codicum consensum scripserunt *hoc enim verbo est usus*, quasi unum exhauriendi verbum, quo Rullus usus sit, vituperetur. Sed vituperatur etiam quod antecedit plebem urbanam nimium in rep. posse; neque enim subito ille minuendam esse plebem dixerat, sed cum multa de eo genere exposuisset, ita orationem conclusit. De sententia autem manifestum est h. l., quantopere Cicero per totam hanc orationem tempori servierit atque unum illud egerit, ut quavis ratione Servilliam legem deiiceret. Nam cum hic acerrime illud Servilii de plebe urbana exhaurienda insectetur, ipse triennio post cum Cn. Pompeii causa legem Flaviam agrariam in senatu suaderet, sic se dixisse gloriatur, ad Att. I, 19, 4: *populo autem et Pompeio (nam id quoque volebam) satis faciebam emptione, qua constituta diligenter et sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar.* Iisdem igitur sententiis, iisdem adeo verbis tunc usus est, quae hic in Servilio criminatur.

71. *gratiae*, quam quaerunt blandiendo et largiendo honorum candidati, *libertatis*, quae maior est Romae quam in reliqua Italia, quia ibi et tribuni plebis sunt nec ullum militare imperium. Haec et reliqua, quae commemorantur, cum Romae sint, ea paulo post *lux reipublicae* dicitur ad eandem rationem, qua in Cat. IV, 6, 11 eam *lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium* appellat. — *Sipontina siccitate.* Sipontum vetustissimum Apuliae oppidum est ad montem Garganum, colonia civium Romanorum anno 194 deducta, *Salpia* sive *Salapia* non procul a Siponto ad meridiem sita, quae cum ad paludem sita esset ac pestilentia infestaretur, a M. Hostilio petentibus incolis in salubriorem locum translata est (Vitruv. I, 4): quare Cicero *fines Salpinorum pestilentiae* videtur dicere i. e. eam partem Salpini agri, qui pestilentia aeris laborat. Quod autem *Salpinos* appellavit, eadem forma reperitur in nummis, apud App. bell. civ. I, 52, gromat. veter. p. 210 ed. Lachm. — *at dicat.* Turnebus emendavit *aut dicat* i. e. aut, si relinqui a vobis urbem Romam vult, dicat cet. Nos minus id probamus; nam quae tamquam opposita sequuntur, non ad plebem ex urbe deducendam, sed ad universam vendendi emendique rationem pertinent. Quare retinemus *at*, i. e. saltem, certo. Nam totius loci haec est sententia: Nolite ab urbe discedere, definiat certe Rullus, quos agros sit divisurus: ut undique coacta pecunia pessimos emat, nemo potest concedere, atque, etiamsi bonos empturus est, tamen haec ratio

ostendat et quid et quibus daturus sit: ut cum omnes urbes, agros, vectigalia, regna vendiderit, tum arenam aliquam aut paludes emat, id vos potestis, quaeso, concedere? Quamquam illud est egregium, quod hac lege ante omnia veneunt, ante pecuniae coguntur et coacervantur, quam gleba una ematur: deinde emi
72 iubet, ab invito vetat. Quaero, si qui velint vendere non fuerint, quid pecuniae fiet? Et referre in aerarium lex vetat et exigi prohibet. Igitur pecuniam omnem Xviri tenebunt, vobis ager non emetur: vectigalibus abalienatis, sociis vexatis, regibus atque omnibus gentibus exinanitis, illi pecunias habebunt, vos agros non habebitis. Facile, inquit, adducuntur pecuniae magnitudine, ut velint vendere. Ergo ea lex est, qua nostra vendamus quanti possimus, aliena emamus quanti possessores velint.

73 Atque in hos agros, qui hac lege empti sint, colonias ab his Xviris deduci iubet. Quid? omnisne locus huiusmodi est, ut nihil intersit reipublicae, colonia deducatur in eum locum necne? An est locus qui coloniam postulet, est plane qui recuset? Quo in genere, sicut in ceteris reipublicae partibus, est operae pretium diligentiam maiorum recordari, qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse

71. *ut vero, cum.* — 72. *pecunia fiet. Referre* — *vetat, exigi.* — *adducentur.* — 73. *locus eiusmodi.* — *est qui plane.*

reprehendenda est, quod coacta demum pecunia ad emendum accedit. Scripsimus autem ex auctoritate cod. Lag. 9 *ut*, non *ut vero.* Nam particula adversativa vel ex initio huius § vel ex § 75, ubi in simili sententiae conformatione legitur, videtur adhaesisse atque in recta duarum sententiarum oppositione melius abesse.

72. *quid pecunia fiet?* ut p. Caec. 10, 30 *Quid huic tu homini facias?* ad Att. VII, 3, 2 *Quid tibi faciam?* Acad. II, 30, 96 *Quid faceret huic conclusioni?* Quare non pus est ab hac omnium codicum lectione discedere, praesertim cum *quid pecunia fiet?* certe etiam esse possit *quid pecunia efficietur?* Deinde item servavimus codicum lectionem *et referre* eiusque causa de coniectura addita particula edidimus *et exigi.* In variatione autem hac, quod prius activum *referre*, tum passivum *exigi* habet, ne quis haereat, cf. § 59 *id profiteri apud Xviros et ad eos deferri iubet.* — *Facile* — *adducuntur*, nimirum homines, solet hoc ita fieri. Generalis est sententia, qua item utitur orat. I, 5, 15 idem caput legis insectans: *nihil est, quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor.*

73. *ab his Xviris.* Sic scribendum est; consulto enim in eadem sententia pronomen *hic* posuit. Item esse oportet coniunctivum *sint;* affert enim relativum, quod in lege ipsa fuit. — *est plane qui recuset.* Praeclare hunc

non oppida Italiae, sed propugnacula imperii viderentur. Hi deducent colonias *in eos agros, quos emerint.* Etiamne si reipublicae non expediat? *et in quae loca praeterea videbitur.* Quid 74
igitur est causae, quin coloniam in Ianiculum possint deducere et suum praesidium in capite atque cervicibus nostris possint collocare? Tu non definias quot colonias, in quae loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum quem idoneum ad vim tuam iudicaris, compleas numero, confirmes praesidio, quo velis, populi Romani vectigalibus atque omnibus copiis ipsum populum Romanum coerceas, opprimas, redigas in istam Xviralem

74. *nostris collocare.* — *quo colonias.*

locum, in omnibus codicibus vitiosum, emendavit Lauredanus, quem nisi quod relativum alifer collocavimus, secuti sumus. Quasi vivant loca, ita loquitur. Quod autem maiorum diligentiam laudat, scimus hoc coloniarum deducendarum fuisse consilium, ut opportunissima Italiae oppida praesidiis Romanorum tenerentur: quae res quanto usui esset, cum alia bella, tum Punica docuerunt. Quae cum origo rei esset, L. Sulla eadem abusus est ad suam potentiam confirmandam. Cum enim militibus maxima Italiae oppida vel tota occupasset, vel admiscendis ad veteres incolas in potestatem suam redegisset, ut tuto dominaretur effecerat: cuius exemplum Cicero vereri se ait ne Rullus imitetur. Permittebat enim lege sua, ut deduceret *colonias in eos agros quos emisset et in quae loca praeterea videretur.* Haec enim ipsa legis verba fuisse putamus; coloniam autem h. l. appellat eam, qua vel totum aliquod oppidum vel maior certe eius pars occupetur, ut nova quaedam respublica existat. Eam deduci licebat non tantum in eos agros, quos emisset, verum etiam in alios si quos publicos deprehendisset, Capuam maxime significans, de qua deinceps peculiariter praecipit. Quare illa verba *etiamne — expediat* quasi parenthesis loco interiecta esse videmus.

74. *quin — possint deducere.* Satis videatur esse *quin deducant;* sed cupit hoc ipsum exprimere, lege quidem Xviris licere etiam in Ianiculum deducere coloniam eaque de causa factum esse puto, ut adeo in collocandi verbo *possint* repeteret. Nam omnes id eo loco codices tuentur. Cf. orat. I, 5, 16 *Ubi cavetur, ne in Ianiculo coloniam constituatis? ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis? Non faciemus, inquit. Primum nescio, deinde timeo, postremo non committam, ut vestro beneficio potius quam nostro consilio salvi esse possimus.* — *quot colonias.* Coniectura haec est Lauredani (nam cod. omnes habent *quo*), sed et levissima, quia tantum littera *c*, quam perpetuo in optimis codicibus cum littera *t* confundi videmus, duplicatur, et propter sententiam necessaria. Nam quod Manutius distinguit *quo* et *in quae loca*, nos non probamus: *quo* ait esse generale, *in quae loca* pertinere ad partes oppidorum, in quas coloni deducantur. Velut, si Capuae colonia constituatur, occupari etiam oppidula circum iacentia, itaque quaeri et quo et in quas partes Campani agri coloni deducantur. Nimis equidem hoc subtile esse

XXVIII, 75 dicionem ac potestatem? Ut vero totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare cogitent, quaeso, Quirites, cognoscite. Permittit Xviris, ut in omnia municipia, in omnes colonias totius Italiae colonos deducant quos velint, iisque colonis agros dari iubet. Num obscure maiores opes, quam libertas vestra pati potest, ac maiora praesidia quaeruntur? num obscure regnum

75. *cogitet.* — *colonis agrum dari.* — *potest, et maiora.*

iudico. Contra in omnibus legibus agrariis hoc primum definiri videmus, quot coloniae deducendae sint, alterum est de loco, qui si non definitur, certe cur eligatur et quam ad regionem tutandam dicitur, tertium est de numero colonorum. Similiterque scribendum est orat. I, 5, 16.

75. *Ut vero — cogitent.* Non satis Rullo eiusque sociis esse ait, ut ipsam urbem obsideant populumque Romanum in dicionem suam redigant. Plus spectant, totam Italiam occupaturi sunt. Quare cum minori rei adiiciat maiorem, proprium suum locum habet *vero* eademque particula in eadem re utitur orat. I, 6, 17. Perpetuo autem oratio inter Rullum et inter socios eius Xvirosque variat, ut pluralem *cogitent*, quem codicum auctoritas commendat, recipere non dubitarim. — *Permittit Xviris* cet. Ipsa legis verba citat in oratione prima § 17: *Quae in municipia quasque in colonias Xviri velint deducant colonos quos velint et iis agros assignent quos velint*, unde pluralem *agros*, quem praestantissimi codices tuentur, re ipsa probari apparet. — *Nam cum iidem — relinquetur?* In codicibus initium huius loci sic legitur sine ulla notabili discrepantia: *Nam cum iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem, id est totam Italiam suis opibus obsidebunt*, quae etsi ediderunt ita nonnulli, qui tamen commode intelligi posse existimaret, nondum inveni quemquam. Ac primum quidem Italiam apparebat posse obsideri, pecuniam et multitudinem non posse: quare partim zeugma nescio quod esse statuerunt, quale fortasse in Taciti oratione reperitur, apud Ciceronem ferri non posse credemus, partim ad illud quod admodum lubricum est ac pro extremo quasi reliquis rebus desperatis habendum est, auxilium descenderunt, ut verbum excidisse putarent, scripseruntque *omnem pecuniam, maximam multitudinem obtinebunt.* Quamquam hi simul illud *id est* tollere cogebantur nec difficilis videbatur esse coniectura, ut scriberetur pro eo *iidem*, repetitionisque figura constituta ter pronomen ab initio membrorum efferretur. Sic haec nascebantur, quae recentissima editio habet: *Nam cum iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem obtinebunt, iidem totam Italiam suis opibus obsidebunt.* In quibus primum pecuniae mentio valde displicet. Absolvit enim dudum disputationem de pecunia cogenda: emptos iam ea statuit esse agros coloniasque deductas, cur subito ad priora redeat? Sed feramus hoc, quod ferri non debet, quam *multitudinem* intelligamus? Hominumne, quae ubi cuius rei sit non adiicitur, sola significatio est? At hominum multitudinem obtinere quid est? An cuius tandem rei, quae nec nominata est nec cogitari potest? Praestabat profecto, id quod R. Klotzio placuit, totum locum intactum relinquere quam violenta coniectura admissa ea efficere, quae tamen intelligi nequirent. Nos quidem ab his duabus, quas diximus, rebus proficiscimur, primum multitudinem dici hominum,

constituitur? num obscure libertas vestra tollitur? Nam cum iidem omnia oppida maxima multitudine, id est totam Italiam suis opibus obsidebunt, iidem vestram libertatem suis praesidiis et coloniis interclusam tenebunt, quae spes tandem, quae facultas recuperandae vestrae libertatis relinquetur?

„At enim ager Campanus hac lege dividetur orbis terrae 76
pulcherrimus et Capuam colonia deducetur, urbem amplissimam atque ornatissimam: at quid ad haec possumus dicere?“ De commodo prius vestro dicam, Quirites: deinde ad amplitudinem et dignitatem revertar, ut, si quis agri aut oppidi bonitate de-

iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem obtinebunt, iidem totam. — 76. ornatissimam. Quid ad haec. — vestro prius.

pecuniae autem commemorandae nullum omnino hic locum esse. Concludit enim hac sententia eum, qui de hominibus deducendis est locum, qui duplex est; siquidem et novas colonias constitui iusserat et veteribus coloniis municipiisque novos colonos ascribi, de pecunia nullam mentionem fecerat. Idque coarguitur ex iis quae in orat. I, 6, 17 sunt, quae eandem, sed in brevius contractam sententiam habent. Quare cum altera sententiae pars ab pronomine *idem* incipiens ad colonias novas pertineat, priorem ad novos colonos veteribus adiectos referri oportet repetitionisque figura etiam bis repetito pronomine constabit. Emendavimus igitur paulo fortius *cum iidem omnia oppida* (nam hoc uno vocabulo appellat colonias et municipia, cf. orat. I, 7, 20) *maxima multitudine*, *id est*, *totam Italiam suis opibus obsidebunt. Praesidia* autem et *colonias* sive coloniarum praesidia (est enim quoddam ἓν διὰ δυοῖν) appellat, ut diximus, colonias circa Romam, in Albano agro, Setino, reliquisque, quos § 66 enumerat, collocatas, quibus pop. Romani libertatem ac libertatis spem, tamquam spiritum, intercludi ait.

76. *orbis terrae.* Sic habet optimus cod. Lag. 9 reiiciendaque Baiteri in additamentis opinio, ablativum *orbi* commendantis: quom non in ipsa ablativi forma vitupero (nam Ciceronem etiam *orbi*, non tantum *orbe* dixisse docuit C. T. Zumptius ad Cic. in Verr. IV, 38, 82), sed in eo, quod praepositionem abesse vult, ac magnopere dubito an in Verr. l. l. *in orbe* sive *in orbi*, p. dom. 10, 24 *locus orbis terrarum*, p. Sest. 30, 66 *locus orbis terrae* legendum sit. Eundemque codicem optimum sequor paulo post, ut *at quid* scripserim. Facit enim haec loquentem amicum aliquem Rulli de plebe: *at enim ager Campanus dividetur: at quid ad haec possumus dicere*, notandusque usus particulae *at* prins *at enim* quasi propagantis. Ideo pluralem *possumus* posuit, quasi ille de plebe homo pro se et reliquis plebeiis dicat, ipse singulari *dicam* pergit. Quod alii editores receperunt *Atqui quid ad haec possumus dicere*, est haud dubie contra sententiam; esse enim oportebat *Atqui quid non contra haec dici potest*; nam *atqui*, quod quodammodo oppositum sit, affert. *Atque* autem connectendae orationi novaeque rei inducendae inservit. — *ad amplitudinem et dignitatem revertar*, nimirum § 80. Excusat se quasi,

lectetur, ne quid expectet, si quem rei indignitas commovet, ut huic simulatae largitioni resistat. Ac primum de oppido dicam; si quis est forte, quem Capua magis quam Roma delectet. Quinque milia colonorum Capuam scribi iubet: ad hunc numerum
77 quingenos sibi singuli sumunt. Quaeso, nolite vosmet ipsos consolari: vere et diligenter considerate. Num vobis aut vestri similibus, integris, quietis, otiosis hominibus in hoc numero locum fore putatis? Si est omnibus vobis, si maiori vestrum parti, quamquam me vester honos vigilare dies atque noctes et intentis oculis omnes reipublicae partes intueri iubet, tamen paulisper, si ita commodum vestrum fert, connivebo. Sed si quinque hominum milibus ad vim, facinus caedemque delectis locus atque

delectatur. — *reip. dignitas.* — *sument.* — 77. *feret.*

quod prius de commodo quam de dignitate dicat. Sed quod paulo post *rei indignitate* edidimus, fecimus haud dubia codicum auctoritate moti, fecimus etiam sententiae causa. Nam *res* est agri Campani divisio, temptata ab Rullo. Facile igitur Wesenbergii ad Cic. p. Sest. p. 47 coniectura caremus, qui *rei dignitatem* (nam sic olim edebatur) non ferens scripsit *reip.*, i. e. reipublicae, *dignitas.* Id ne aptum quidem videtur esse, quia commovendi verbum vel ad iram pertinet vel ad terrorem, quorum neutrum dignitate excitari potest. — *si quis est, quem* — *delectet.* Etsi omnis codicum nostrorum auctoritas tuetur indicativum, recedere tamen eum ab usu Tulliano intelligo, facile etiam errore librariorum existere potuisse. Erfurtensis quidem codex habet coniunctivum. — *ad hunc numerum quingenos* i. e. ut hic numerus efficiatur, singuli Xviri sibi quingenos *sumunt.* Sic enim edendum fuit, non *sument.* Illud ad ipsam legem pertinet, in qua de colonis Campanis aequaliter dividendis scriptum fuerit, hoc Xviros ita iniussu legis rem esse administraturos significat. Quod autem *quingenos* scripsimus, ratio certa est; codices quidem ms. omnes *quinquagenos* habent, qui error ex nota numerali videtur extitisse.

77. *vosmet ipsos consolari,* i. e. nolite dolorem, quem ex dividendo agro Campano capere debetis, eo consolari, quod eum ad plebem Romanam perventurum esse putetis. Sed cur ait *vosmet ipsos?* cur non potius *vosmet ipsi?* Nam ubi pronomen *ipse* propter sententiam non necesse est alium casum sequi, nominativum praeferri solere constat: quare dubium non est, quin h. l. potuerit dici *vosmet ipsi.* Nec tamen illa consuetudo constans est nec hic codicum consensus quicquam mutari patitur. Cf. infra § 79 *deludi vosmet ipsos diutius a tribuno plebis patiemini?* Eademque ratio est paulo post, ubi omnes libri ms. exhibent *fert,* Iuntinus editor, quod propter futurum consequens *connivebo* Latinitati magis convenire putavit, *feret* emendavit. Sed Cicero sic videtur dixisse: si nunc mihi persuadetis id esse ex usu, legem hanc ferri patiar. Quamquam complures errores leviores per hunc locum reperiuntur in omnibus libris ms. Omnes enim habent *vestris similibus, quam me*

urbs, quae bellum facere atque instruere possit, quaeritur, tamenne patiemini vestro nomine contra vos firmari opes, firmari praesidia, urbes, agros, copias comparari? Nam agrum quidem 78
Campanum, quem vobis ostentant, ipsi concupiverunt: deducent suos, quorum nomine ipsi teneant et fruantur: coement praeterea,

armari praesidia.

vester honos, tum *fert commonebo* sive *commovebo*, quae rectissime emendavit Nic. Angelius, longe plures ac meliores etiam *otiosis omnibus*, quod iam vetus aliquis librarius videtur correxisse. Item quod odidimus *Si est omnibus vobis, si maiori vestrum parti*, omnes cod. alteram particulam *si* omittunt, qua carere non possumus: edidit quidem eam primus I. G. Baiterus ex nota quadam Torrentii Levini, facillima emendatione, cum *si* antecedentis vocabuli postrema et insequentis prima littera haustum esse videatur. Quod olim edebatur *aut maiori — parti*, in Aldina editione primum arbitror inveniri, sed id et difficiliorem nascendi explicationem habet nec *aut* h. l. aptum videtur esse. — *connivebo* i. e. velut oculis clausis dissimulabo commodumque vestrum honestati anteponi patiar. Oppositum est vigilare. Cf. de off. I, 25: *Qui reipublicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant, unum — alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.* — *ad vim facinus caedemque delectis.* De iisdem colonis infra § 82 *Primo quidem acres, ad vim prompti, ad seditionem parati, qui simulac Xviri increpuerint, armati in cives et expediti ad urbem esse possint*, et § 84 *his robustis et valentibus et audacibus Xvirum satellitibus*, orat. I, 6, 18 *coloni delecti ad omne facinus a Xviris collocabuntur.* — *bellum facere* differt ab inferendo bello; est enim eius, qui tantas opes habet, ut bellum sustinere possit. Cf. p. Mil. 23, 63 *occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet.* Paulo post sine dubitatione quod in optimo codice est recepimus *firmari praesidia.* Neque enim verum erat constituenda Capuae colonia armari praesidia, quoniam arma colonis non dabantur. Sed praesidium tantum constituebatur et quidem *firmum* (nam sic saepe dicitur), quo qui bellum inferre vellent, uti possent.

78. *Nam agrum quidem Campanum.* Dixit de oppido Capua, in quo qui constituebantur coloni etsi non solum domum, verum etiam agrum cum domo coniunctum accipiebant, sic tamen Xviros facturos dicit, ut colonis agrum adimerent eoque ipsi fruerentur. Quare hinc non debebimus colligere, aliis hominibus sortes agrorum esse datas, aliis domos in ipso oppido. Cf. infra § 85 de eodem agro *qui vobis ostentatur, aliis comparatur.* — *deducent suos* i. e. propinquos, clientes, libertos, fortasse etiam eos, quibus hanc condicionem imponant, ut secum partem fructuum communicent vel agrum totum parvo pretio cedant. Quod paulo post est in codicibus omnibus *coemant*, recte Lauredanus correxit *coement*; nam absurdum est: deducent suos, ut coemant, quasi ab alienis coemere non possint. At coemendo continuatur ager, quare utrumque verbum eodem tempore scribi oportet. Discimus autem hinc, Rullum colonis dena iugera in agro Campano assignari iussisse. Definierat igitur,

ista dena iugera continuabunt. Nam si dicent per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet. At videmus, ut longinqua mittamus, agrum Praenestinum a paucis possideri: neque istorum pecuniis quicquam aliud deesse video, nisi eiusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines et Cumanorum ac Puteolanorum praediorum sumptus sustentare possint. Quodsi vestrum commodum spectat, veniat et coram mecum de agri
XXIX, 79 Campani divisione disputet. Quaesivi ex eo Kal. Ian., quibus hominibus et quemadmodum illum agrum esset distributurus.

quod quadriennio post non definivit C. Caesar in consulatu, qui cum item legem de agro Campano dividendo ferret, quantum colonis agri daturus esset non indicavit. Vide comment. nostras epigraph. I p. 294. *Dena iugera continuare* est efficere, ut sortes continuae sint, ut cohaereant cum aliis sortibus. Supra § 70 *Sullanus ager a certis hominibus latissime continuatus*, orat. III, 4, 14 *fundos, quos in agro Casinati optimos fructuosissimosque continuavit.* — *per legem id non licere* i. e. per legem ipsius Rulli, qui sortes colonorum omnino venire vetuerat, sed hereditate tantum ad filios posterosque pervenire, ut, si quis colonus sine heredibus iustis decederet, sors eius vacaret atque ad aerarium populi Romani rediret. Haec enim condicio antiquitus colonis imponi solebat retentaque est non solum ab Rullo, verum etiam ante eum ab L. Sulla dictatore, cuius legem Corneliam Cicero laudat, post eum lege Iulia ab C. Caesare et consule et dictatore, qui tamen ut liberalitatem suam ostenderet, viginti annos, intra quos sortes vendere non liceret, praescripserat. Cf. comment. epigraph. I p. 460. — *longinqua* i. e. procul ab urbe Roma sita. Commemoro, quia Lauredanus parum recte de tempore explicavit. Praeneste autem cum L. Sullae diutissime restitisset ac C. Marium filium strenue adiuvisset, publicatum est lege Cornelia occisisque veteribus incolis novi coloni in oppido et agro collocati. Atque in oppido quidem supererant coloni, agrum pauci divites coemerant. — *familiarum magnitudines.* Servos intelligit urbanos, quorum ingentes greges luxuriae causa a divitibus alebantur; nam rustici servi ac pastores facile praediorum quae colebant fructibus sustentabantur. Eodem autem plurali *magnitudines* de compluribus rebus magnis utitur Phil. XIII, 3, 5 *maria, montes, regionum magnitudines interessent.* Atque hoc quidem unum luxuriae genus erat, quod magnum sumptum requireret, alterum erat *Cumanorum et Puteolanorum praediorum.* Nam in ora maris prope Cumas et Puteolos, maxime autem Baiis, Romani habebant villas sumptuosissime aedificatas atque exornatas, quae cum agris carerent, nullos reditus darent. Quare ipse Cicero ad Att. II, 8, 2 Baianam regionem appellavit *Cratera illum delicatum.* — *coram mecum — disputet.* Infra orat. III, 1 *si coram potius me praesente dixissent*, 4, 16 *veniant coram et — disserant*, p. leg. Man. 22, 66 *Libenter haec coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio disputarem.* Disputarat autem ita Cicero cum Rullo in senatu Kal. Ian., quo tempore quid ille dixerit deinceps refert.

Respondit a Romulia tribu se initium esse facturum. Primum quae est ista superbia et contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur, ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes et iucunditas ostenditur?

79. *Romilia.*

79. *a Romulia tribu.* Ita ex auctoritate codicis optimi scripsi (nam ceteri *Romiliam* appellant) itemque scribendum esse arbitror in Verr. Act. I, 8, 23. Festus p. 270 ed. Müll. *Romuliam* vocat, at Varro ling. Lat. V, 9 *Romiliam*, ut videtur. — *Primum* cet. Tribuum triginta quinque populi Rom. certum constat fuisse ordinem, non ut quae antecederet, honoratior utique esset, quae succederet, minore honore uteretur (nam quae de honore tribuum ab viris doctis nunc solent disputari, inania fere atque ex testimoniis parum recte explicatis orta esse videmus), verum comitiorum causa, ut, si qua una sorte esset ducta, reliquae certo ordine vocarentur. Is ordo qualis fuerit, parum certum est. Primas fuisse constat quattuor urbanas, Suburanam, Palatinam, Esquilinam, Collinam; nam has ita numerat Varro de ling. lat. V, 9. Nec apud Dionys. IV, 14, qui Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam nominat, ordinem esse servatum hic ipse locus, unde Suburanam tribuum omnium primam fuisse colligimus, docet. Sequebantur triginta una rusticae, ex quibus primam, omnium quintam Romuliam fuisse docet Varro l. l. et hic locus. Reliquae deinceps incerti ordinis sunt (nam num ex Grut. p. 210, 10 de Voltinia tamquam sexta colligi liceat dubito), ultimam quidem omnium Aniensem fuisse discemus ex iis, quae Cicero h. l. ait: *a Suburana usque ad Aniensem nomina vestra proponat,* in quibus hanc sententiam inesse oportet, ut Rullus omnium tribuum, a prima ad ultimam, nomina proponere iubeatur. At enim *Aniensem* nos auctoritate unius codicis Lag. 9 appellavimus, reliqui omnes scribunt *Arniensem*, nec ullis argumentis aut testimoniis utra rectius pro ultima habeatur (nam et Aniensem et Arniensem tribum fuisse constat), discernitur, ut in tanta permutandi facilitate unius codicis una auctoritate nitamur. Sed hic cum tribuum ordo esset in comitiis, Cicero eundem in agris dividendis servari postulabat, iniquam, ut apparet, legem statuens Xviris, ne quem omnino ex inferiore tribu deducerent, nisi omnibus superioribus satis fecissent. Ac cum Rullus se ab Romulia i. e. a prima rusticarum, quinta omnium initium facturum dixisset, duas res reprehendebat. Primum enim praetermitti vel in extremum reici quattuor tribus urbanas (haec enim est *pars populi*, quae tamquam de toto civitatis corpore *amputatur*), idque eo esse iniquius, quod tribus rusticae haberent agrum, urbanae non haberent. Haec reprehensio ideo videtur esse iniqua, quod etsi initio cum instituerentur, tribus rusticae tantum homines agris praeditos comprehenderant, paulatim tamen non minus in illis quam in urbanis egeni agrisque carentes tribules extiterant. Plures essent pauperes in tribubus urbanis, praecipue ob libertinos, qui in iis censebantur, sed certe iniquius Cicero ita dicit, quasi in rusticis nemo agro caruerit. Rullus autem non dubito quin hoc secutus sit, quod ex tribubus rusticis homines agri colendi essent peritiores neque in optimo agro

Aut, si hoc a se dictum negat et satisfacere omnibus vobis cogitat, proferat, in iugera dena describat, a Suburana usque ad Aniensem nomina vestra proponat. Si non modo dena iugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis, tamenne vexari rempublicam, contemni maiestatem populi Romani, deludi vosmet ipsos

ab se. — *Arniensem.*

nisi qui colere optime scireut collocandos esse arbitraretur. Altera autem Ciceronis reprehensio haec est, quod quinque milia in agrum Campanum deduci posse negat: ita fore, ut tribus urbanae, quarum extremo loco ratio haberetur (nam Rullum statuit, cum ab media aliqua tribu incepisset, deinceps solitum earum ordinem esse servaturum) nihil omnino acciperent. Qua in re quanta cavillatione utatur, ipse se coarguit. Nam ad Att. II, 16, 1 cum audisset de lege Iulia, qua ager idem dividebatur, quinque eum milibus denisque iugeris describendis sufficere scribit, hac ipsa, quam h. l. vituperat, ratione tamquam verissima usus. Quod autem dicit *Aut si hoc dictum a se negat*, mutavit paululum orationis perpetuitatem: debebat proprie dicere *deinde, si hoc* cet. — *proferat*, i. e. quibus agrum daturus sit indicet, vel potius, quoniam id difficile factu est, quot ex quaque tribu hominibus daturus sit dicat, tum eos per dena iugĕra in agrum Campanum distribuat. Ait igitur h. l. homines describere in denum ingerum sortes. At infra § 85 in agro Stellati *duodena describit in singulos homines iugera.* Nam utraque ratione dici posse apparet.

80. *An obliti estis* cet. Ante haec verba in omnibus cod. praeter unum Lag. 9 inseruntur haec: *Quodsi posset ager iste ad vos pervenire, nonne eum tamen in patrimonio vestro remanere malletis? Unumne fundum pulcherrimum populi Romani, caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae disperire patiemini?* Quae cum in eo libro ms., quem optimum esse ex multis rebus cognossem, deesse viderem, vehementer motus sum. Etenim utrum necessaria utique illa sunt an vero abesse licet? Transit h. l. orator, postquam de commodo plebis dixit, ad amplitudinem et dignitatem, transitumque ipsum illa sententia quasi parat ac faciliorem reddit. Sed cur non transeat nullis propriis ad transitum significandum institutis verbis? Ne apta quidem illa esse arbitror. Primum enim de industria, ut opinor, Cicero h. l. argumenti divisionem perturbat: supra § 79 vidimus *primum* et *aut* inter se respondere, § 82 una particula *at* de nova re dici indicat, paulo post quod rursus novum de privatorum diligentia Rullique negligentia disputatur, vix ullo certo loco ab iis, quae proxime antecedunt, seiungitur. Cur igitur h. l. transeundi causa tot verba facta esse putemus? Deinde in iis, quae sunt usque ad § 84, triplex argumentum reperitur, primum de optimo vectigali perdito, deinde de hominibus audacibus deductis, tum rursus quodammodo de vectigalis illius bonitate. Hoc quomodo explicabimus, nisi ad exeuntem § 79 ita referamus, ut quod ibi tertio loco proposuerat, altero exequatur ac de vexata republica, de-

diutius a tribuno plebis patiemini? An obliti estis, Italico bello, 80
amissis ceteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? An ignoratis cetera illa magnifica populi Romani vectigalia perlevi saepe momento fortunae, inclinatione temporis

80. *patiemini? Quod si posset ager iste ad vos pervenire, nonne eum tamen in patrimonio vestro remanere malletis? Unumne fundum pulcherrimum populi Romani, caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae disperire patiemini? An obliti.*

lusa plebe Romana, contempta maiestate populi Romaui deinceps dicat? Quod si ita est, quis illa, quae interiecta sunt, feret, qnae nisi ad disputationem de agro Campano vel incipiendam vel concludendam portinere non possnnt? Magnifica illa substantiva *caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae*, assimilata sunt ad ea, quae habet in orat. I, 7, 21: quae cum illic apta sint, quoniam breviter rem se commemorare, reliquam dispntationem contioni reservare ait, huc cum prava quadam sollertia in diversissimae rationis locum videntur esse translata. Nec vero in ipsis illis verbis, quae vituperatione dignissima sint, non inveniuntur. Nam qnid est *si posset ad vos pervenire?* Est enim ager apud Quirites neqne perveniat opus est. Nec sane recte dicitur non posse pervenire. Quidni enim alius vere eum plebi dividat? At Rullus eiusmodi est, ut non sit divisurus. Hoc tam incommode, tam inepte a Cicorone dici potuisse, qui morem eius norit, non credet. Quantum enim eiusdem sententiao verba apud ipsum discrepant infra § 85 *etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro perventurum*, in quibus ea quae vituperavimus, aliter dici videmus. Deinde a Cicerone alienum esso iudico verbum *dispereundi*. Non dico, quod Cicero ipse alias non usurpavit (compluria onim apud eum sunt ἅπαξ λεγόμενα), sed nemo omnino bonus scriptor usnrpavit, non Caesar, non Livius, non Quintilianus: poetae saepe habent, raro alii. Cf. ad orat. I, 1, 1 de verbo disperdendi. Quare cum uno hoc loco aliis de causis suspecto legatur, quomodo non magnum pondus ad suspicionem nostram addat? Itaqne totum hnnc locum ex verbis Tullianis eiecimus, in quae quomodo pervenisse putemns, in prooemio exposuimus. — *Italico bello*, quo socii civitatem Romanam, quam precibus non potuerant, armis consequi studebant. In eo Latini omnes fidem servarunt, servarunt etiam Campani nec Capna ipsa unquam in seditiosorum oppidorum numero commemoratur. — *perlevi saepe momento — pendere.* Dicitur Latine *pendere ex aliqua re* (non *ab aliqua re*) i. e. ita ex aliqua re aptum, cum ea coniunctum esse, ut simul cum ea moveare; sed non minus etiam *pendere aliqua re*, suspensum esse quasi per aliquam rem, quae efficiat, ut nondum ceciderimus. Ita p. Flacc. 2, 4 *salutem nostram quae spe exigua extremaque pendet* i. e. quae spes nondum cecidit propter exiguam quam habemus spem; nec multum discedit ad Q. fratr. III, 5, 3 *promissis iis, quae ostendit* (Caesar), *non valde pendeo.* Commemoravi, ne quis Lambini et Guilelmii coniecturis, qui praepositionem addi volebant, crederet. — *Asiae portus, quid scriptura.* Praeclare hunc locum emendavit H. Chr. Fr. Geb-

pendere? Quid vos Asiae portus, quid scriptura, quid omnia transmarina voctigalia iuvabunt tenuissima suspicione praedonum
81 aut hostium iniecta? At vero hoc agri Campani voctigal cum eiusmodi sit, ut cum domi sit et omnibus praesidiis oppidorum tegatur, tum noc bellis infestum nec fructibus varium nec coelo ac loco calamitosum esse soleat, maiores nostri non solum id,

Quid nos Asiae. — 81. eiusmodi est. — tum neque bellis. — esse solet, maiores.

hardt. Observ. critic. II p. 10; nam codices quidem omues nostri *Asiae portus, quid Syriae cura* exhibent, alii quidem parum boni *Asiae portus, quid Syriae rura*, quod coniectura librarii parum periti ortum est. At ille demonstravit primum *rura* apud Ciceronem non posse intelligi nisi villas cum agro coniunctas, nec quisquam facile *populi Romani rura* dixerit, deinde Syriam, quae nondum provincia fuisset, quae hoc ipso tempore hostibus pop. Rom. ab Pompeio eriperetur, non potuisse commemorari. Addere debuit, cum *transmarina* vectigalia ex consuetudine Romanorum sint ea, quae ultra mare Ionium sint nec Graecia unquam propter vectigalium ubertatem celebretur, unam potuisse nominari provinciam Asiam; nam Bithynia, Cilicia, Syria demum post Cn. Pompeium fuerunt. Ipsa autem illa mutatio, ut ex *Syriae cura* fiat *scriptura*, facillima est commendaturque aliis locis. Nam ad Att. XI, 10, 1 est *P. Terentius, meus necessarius, operas in portu et scriptura Asiae pro magistro dedit*; ibid. V, 15, 3 *Tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium.* *Portus* autem singulari numero (sic enim intellige) est i. q. portorium, vectigal ipsum, quod ex mercibus in portus importatis capitur. Ostendit id p. leg. Man. 6, 15: *Ita neque ex portu, neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest*, si contra ponatur p. Flacc. 8, 19 *Mirandum vero est, homines eos, quibus odio sunt nostrae secures, nomen acerbitati, scriptura, decumae, portorium morti, libenter arripere facultatem laedendi.* Itemque in Verr. II, 70, 171: *Canuleius vero, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat, ea quae sine portorio Syracusis erant exportata: portum autem et scripturam eadem societas habebat.*

81. *cum eiusmodi sit — soleat.* Una in re discessimus ab libris ms., quod *soleat* scripsimus, cum illi habeant *solet.* Quod cum reliqui editores conservarent, alteram particulam *cum* eiecerunt. Verum facilius modus mutatur quam vocabulum expellitur nec eiusdem particulae intra breve spatium repetitio debebit esse offensioni. Maxime autem nos movebat, quod, quam nos apodosin esse statuimus *maiores nostri — non imminuerunt*, eam illi dum per se accipiunt, parum eleganter Ciceronem dicere statuunt. Requiritur enim particula interiecta, velut *quare, igitur.* Duas autem virtutes agri Campani esse ait, primum quod sit *domi*, i. e. in Italia, et quidem ita undique coloniis ac municipiis tectus, ut hostis nemo eo possit pervadere. Cf. quae ad Att. II, 16, 1 de agri Campani divisione a C. Caesare suscepta dicit: *portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso quod vectigal superest domesticum practer vicesimam?* Supra orat. I, 7, 21 *sub signo claustrisque reipu-*

quod de Campanis ceperant, non imminuerunt, verum etiam, quod tenebant, quibus adimi iure non poterat, coemerunt. Qua de causa nec duo Gracchi, qui de plebis Romanae commodis plurimum cogitaverunt, nec L. Sulla, qui omnia sine ulla religione quibus voluit est dilargitus, agrum Campanum attingere ausus est: Rullus extitit qui ex ea possessione rempublicam dimoveret, ex qua nec Gracchorum benignitas eam nec Sullae dominatio deiecisset. Quem agrum nunc praetereuntes vestrum XXX
esse dicitis et qui in urbem iter faciunt externi homines vestrum

quod ei tenebant. — *demoveret.* — *dicitis et quem per iter qui faciunt.*

blicae positum vectigal appellat. Altera virtus est, quod cum Campani ipsi sint quieti ac modesti, nullis seditionibus ac bellis intestinis infestatur, eandem semper fructuum copiam fert, nullas nec coeli, velut tempestatum, nec loci, velut inundationum, calamitates patitur. — *de Campanis ceperant.* Sic Lauredanus emendavit; nam omnes libri ms. omittunt praepositionem, quibus etsi honorem suum servare vehementer cupimus, Latinum tamen esse negamus *capere alicui*, ut sit i. q. adimere alicui. Quamquam dubitamus, an *quod Campaniae ceperant* scribere praestet; mutatio quidem non est difficilior. Quod autem Cicero Romanos negat agrum a Romanis captum imminuisse, sed coemisse, fecerint id postea; anno quidem 205 a. Chr. Livius XXVIII, 46 narrat, quia pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem a fossa Graeca ad mare versam quaestores vendidisse. — *quod tenebant.* Olim *quod ei tenebant* edebatur ex Lauredani ingenio, quia codices tunc noti habebant *quod et tenebant*; nos certa auctoritate pronomen omisimus. — *est dilargitus.* Id verbum uno hoc loco Cicero habet, sed usurpavit argentea aetas, velut Suetonius de Caesare consule c. 20 *Cetera item, quae cuique libuissent, dilargitus est.* De verbo *dimovendi*, quod paulo post edidimus, cf. ad Cic. p. Mur. 38, 82. — *et qui in urbem iter faciunt.* Ex codicibus qui optimus est habet *et quem pariter faciunt*, reliqui *et quem pariter qui faciunt.* Inde Lauredanus scripsit *et quem per iter qui faciunt* (ac sic etiam libri quidem ms., sed deteriores habere dicuntur), quod receptum est ab omnibus editoribus, nisi quod Manutius etiam *et quem pariter iter qui faciunt* commendavit. Atque hoc quidem absurdum est; quis enim externos homines, qui iter aliquod faciant, de agro Campano audire dicat? Illud propter rationem grammaticam vitiosum est; nam praepositionem *per* substantivo postponi, nisi apud poetas, inauditum est. Commune autem utrique harum lectionum est, quod relativum *quem* cum coniunctione *et* repetitur. Ferrem solum relativum repeti oratoriae cuiusdam abundantiae causa; simplicem quidem rationem esse video hanc *et qui per eum iter faciunt*, ut obiectum ex eo, quod praecedit, relativo intelligatur, a qua ratione cur recederet Cicero? Repetitionem vero relativi cum coniunctione nisi ubi agri diversitas indicetur atque alius dicatur esse populi Rom., alius audiatur, locum habere non posse iudico. Quare vitium in ipso hoc, quod perperam repetitur, relativo inesse statuo, praesertim cum saepissime in

82 esse audiunt, is cum erit divisus, nunquam vester dicetur. At qui homines possidebunt? Primo quidem acres, ad vim prompti, ad seditionem parati, qui simulac Xviri increpuerint, armati in cives et expediti ad urbem esse possint. Deinde ad paucos opibus et copiis affluentes totum agrum Campanum perferri videbitis: vobis interea, qui illas a maioribus pulcherrimas vectigalium sedes armis captas accepistis, gleba nulla de paternis atque

divisus, ... neque vester esse dicetur. — 82. concrepuerint. — expediti ad caedem.

hoc pronomine codices nostros errare videam. Ita *quem* extitisse censuimus ex eo quod erat *qui in* effecimusque quod editum est, quod si cui longius ab litteris, quae traditae sunt, abire videatur, universum hunc locum parum recte in codicibus ms. exhiberi cogitet, nec si quid melius inventum erit, repugnabimus. Illud apparere arbitror, nec quod edatur posse ferri, et externos homines in urbem iter facientes de agro Campano audire dici. Nam via Appia per Capuam agrumque Campanum est, qua plerique peregrini homines, sive Brundisium, sive Puteolos advecti erant, utebantur. Itemque paulo post omnes codices vitiosi sunt. Nam optimus habet *neque vester dicetur*, reliqui *neque vestrum dicetur:* in quo cum error appareret, Hervagiana editio prima scripsit *neque erit neque vester esse dicetur* secutaeque sunt omnes, nisi quod Baiterus in recentissima pro iis, quae reliqui habent *neque erit,* lacunam esse statuit. Sed hoc universum lacunarum genus, ut est longe facillimum, ita ex necessitate debet pendere, quae h. l. nulla est. Nec placet reliquorum supplementum *neque erit.* Dixerat enim cives dicere de agro Campano, externos audire, nimirum cum ab aliis diceretur: cur igitur nunc cum eo, quod non dicatur, etiam quod non sit, coniungat? Quare ex eo quod est *neque* parva mutatione effecimus *nunquam.*

82. *primo.* Sic omnes nostri codices habent, quos non desero. Poterat certe etiam *primum* dicere, sed non enumerat tantum, effert audaciam hominum deducendorum, quasi *principio, primo loco* tales electum iri ait. — *increpuerint.* Sic Cicero de orat. II, 5, 21 *simul ut discus increpuit,* in Cat. I, 7, 18, ubi patria loquitur: *quicquid increpuerit, Catilinam timeri.* Est igitur i. q. sonitum edere, sed idem fere *concrepare*, ut de off. III, 19 *si digitis concrepuerit.* Hoc igitur loco inter codices ambigi poterat, sed paulo post sine dubitatione praetulimus quod Lag. 9 habet *ad urbem* ei quod in reliquis est *ad caedem.* Nam vix dicas: *Homines audaces eliguntur, qui armati et expediti esse possint* (nam audaces iidem facile armantur et expediuntur), sed *qui sint:* nunc dicit *qui ad urbem esse possint*, qui prope ab Roma absint, nimirum si Xviri increpuerint. — *perferri.* Non intelligo Ernestium, qui perferri agrum neget, deferri velit. At in perferendo hoc inest, ut agros ab colonis, quibus dati sint, ad divites homines perventuros ibique mansuros esse dicat. Quod autem ait *ad paucos,* ei in subsequenti sententia, quae huic opponitur, respondet *vobis.* Tum *vectigalium sedes* intellige loca, in quibus habitant quasi vectigalia, quod eorum est tamquam domicilium, ut p. Arch. 4, 9 est *sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit.* — *tan-*

avitis possessionibus relinquetur. At tantum intererit inter vestram et privatorum diligentiam! Quodcum a maioribus nostris P. Lentulus, is qui princeps senatus fuit, in ea loca missus esset, uti privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret, dicitur renuntiasse, nulla se pecunia fundum cuiusdam emere potuisse, eumque, qui nollet vendere, ideo negasse se adduci posse, uti venderet, quod, cum plures fundos haberet, ex illo solo fundo nunquam malum nuntium audisset. Itane vero? Privatum haec causa commovet: populum 83
Romanum ne agrum Campanum privatis gratis Rullo rogante tradat non commovebit? At idem populus Romanus de hoc vectigali potest dicere, quod ille de suo fundo dixisse dicitur. Asia

diligentiam, Quirites? Cum a maioribus. — om. *is.* — *ut privatos.* — 83. *commovit.* — *commovebit? Atqui idem.*

tum intererit sq. Secutus sum Baiternm, recentissimum editorem, qui ita hanc sententiam accipit, ut cum indignatione qnadam Cicero loquatur ac quasi qnaerat, num tantum popnlus Romanus interesse velit inter suam et inter privatorum diligentiam. Qnamqnam facile etiam est nec cnm codicum nostrorum vitiositate pngnat scribere *tantumne intererit,* ut in Verr. I, 31, 78 *Tantaene tuae, Verres, libidines erunt?* Sed non snm secntns eundem in eo, quod pro pronomine *quod* scripsit *Quirites*; nam *quodcum* coniunctim dici existimo connectendarum sententiarum cansa; sola coniunctio *cum* nudum aliquid habet ac vix h. l. probabile. Infra quidem § 89, ubi similis est sententiarum conformatio, illud tamen est dissimile, quod per contraria explicatur oratio *illi — voluerunt, hi — constituunt. P. Lentulus,* cos. anno 162, vitam produxit usque ad ann. 121, quo in Gracchorum tumnltu vnlneratus paulo post decessit. De eodem Cic. in Q. Caecil. 21, 68 dicit: *P. Lentulus, is qui princeps senatus fuit* atque idem h. l. esse oportere Lauredanns coniecit. Codices quidem habent tantum *P. Lentulus qui princeps senatus* (deteriores *senator*), sed verbum *fuit* abesse consuetudo Tulliana non patitur. Insernimus autem etiam pronomen *is*, quod quam facile antecedentis vocabuli extrema syllaba hauriri potuerit apparet. Cf. § 83 extr. Diversus error paulo post videtur accidisse, ubi qnod nos scripsimns *uti privatos agros*, in codicibus est *ut et privatos agros*, una littera in coniunctionem producta. Quamquam in eo, quod infra est *uti venderet*, codices consentiunt.

83. *commovet* generaliter est dictum de eo, quod, cum semel acciderit, quovis tempore accidere possit. Quare ceteros editores, qui contra codicum consensum *commovit* praetulerunt, imitari noluimus. Item optimi cod. auctoritatem secuti edidimus paulo post *At idem*, quod iam do coniectura Theod. Mommsenio placuerat. Proprius enim ei particulae locus est, nbi cansa et magna et aperta affertur, velut h. l. postquam nonnullos fortasse dubitare significavit, num pop. Romanus gratis agrum Campanum dividere debeat, quasi respondens non debere ait, qnia appareat eum eadem causa moveri, qua

multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit; Hispaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit: Siciliae civitatibus bello fugitivorum M'. Aquilius etiam mutuum frumentum dedit: at ex hoc vectigali nunquam malus nuntius auditus est. Cetera vectigalia belli difficultatibus affliguntur: hoc vectigali
84 etiam belli difficultates sustentantur. Deinde in hac assignatione agrorum ne illud quidem dici potest, quod in ceteris, agros desertos a plebe atque a cultura hominum liberorum esse non opor-
XXXI tere. Sic enim dico: si Campanus ager dividatur, exturbari et expelli plebem ex agris, non constitui et collocari. Totus enim ager Campanus colitur et possidetur a plebe et a plebe optima et modestissima: quod genus hominum optime moratum, optimorum et aratorum et militum, ab hoc plebicola tribuno plebis

privatus homo motus sit. — *Mithridatico bello*, non solum primo, quod L. Sulla gessit, verum etiam eo, quod a L. Lucullo coeptum tunc Cn. Pompeius conficiebat; quem cum Cicero ipse praetor plebi ad imperium commendaret, multa de vectigalibus Asiae dixit. *Sertorianum bellum* anno 80—72 in Hispania ex reliquiis belli civilis ortum atque a Cn. Pompeio confectum est; *in Sicilia* M' Aquilius (nam hoc nomen ex variis codicum erroribus recte iam Lauredanus effecit) cum servis pugnavit ab anno 101—99 a. Chr., quo in bello cum servi agros omnes vastassent, tantum abfuit, ut Siciliae civitates frumentum, quod imperio Romano deberent, dare possent, ut suae vitae sustentandae causa mutuum ab Aquilio acciperent. — *difficultatibus* — *difficultates.* Utroque loco nostri quidem codices habent *facultates*, sed nec affligimur nisi eo quod malum est nec sustinemus nisi onus. Itaque primam syllabam extrema antecedentis vocabuli haustam esse videmus, id quod accidit etiam supra § 82, sed animadversum vitium ab aliorum codicum librariis, qui recte utroque loco *difficultates* scripserunt.

84. *a cultura hominum liberorum.* Nimirum hoc imprimis dixerant Gracchi, cum IIIviros agris dividendis constituerent, deficere homines liberos, ex quibus milites legi possent: divites, qui agrum publicum possiderent, servis potius uti, propterea quod ii ad militiam non admitterentur. Itaque id et Gracchi egerant, ut eos homines in agro publico collocarent, qui suis ipsi manibus sortes colerent, qui cum liberi essent, stipendia mererent, et reliqui deinceps, qui de agro publico leges tulerant, quamvis alii divitibus, alii plebi prospicerent, communiter omnes retinuerunt. Quare Cicero, dum ab hoc consilio Rullum desciscere docet, aratores Campanos cum aliis virtutibus laudat, tum milites optimos et glebis subigendis exercitatos esse commemorat: at eos, quos Rullus deducere velit, significat primum esse sudaces, cuius generis fere est urbana multitudo, parum apta ad bellum, tum hos ipsos cessuros Rulli amicis, qui servorum, non liberorum hominum opera usuri sint. — *a plebe et a plebe optima.* Repetit substantivum explicationis atque illustrationis causa, ut *et* valeat fere i. q. *et quidem*, ut in Cat. II, 8, 17 *cur tam diu de uno*

funditus eiicitur. Atque illi miseri, nati in illis agris et educati, glebis subigendis exercitati, quo se subito conferant non habebunt: his robustis et valentibus et audacibus Xvirum satellitibus agri Campani possessio tota tradetur. Et, ut vos nunc de vestris maioribus praedicatis: „Hunc agrum nobis maiores nostri reliquerunt“, sic vestri posteri de vobis praedicabunt: „Hunc agrum patres nostri acceptum a patribus suis perdiderunt“. Equidem 85
existimo, si iam campus Martius dividatur et unicuique vestrum ubi consistat bini pedes assignentur, tamen promiscue toto quam proprie parva frui parte maletis. Quare etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro perventurum, qui vobis ostenditur, aliis comparatur, tamen honestius eum vos universi quam singuli possideretis. Nunc vero cum ad vos pertineat nihil, sed paretur aliis, eripiatur vobis, nonne acerrime, tamquam armato hosti, huic legi pro vestris agris resistetis? Adiungit Stellatem campum agro Campano et in eo duodena describit in singulos

85. *malitis.* — *nihil perveniat, sed.* — *hosti, sic huic.*

hoste loquimur et de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem, et saepe alias. Quod autem *plebicolam* appellat i. e. plebis studiosum, cf. p. Sest. 52, 110 *qui, ut credo, non libidinis causa, sed ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem.* Paulo post secuti sumus Naugerii emendationem *tradetur* scribentes; nam codices omnes habent *tradatur*, quod, nisi forte *si his robustis* scribere placeat, tueri non possimus.

85. *maletis.* Veteres editores scribebant *malletis*; quod, quia in condicionali sententia est *dividatur* et *assignentur*, ferri non potest, correctumque est deinceps *malitis.* Nos ex codicum auctoritate non dubia futurum praetulimus. Paulo autem post item iubente auctoritate scripsimus *tamquam armato hosti, huic legi*, cum reliqui *sic* inserant. Cf. contrarium codicum errorem supra § 82. — *Stellatem campum.* Is est ultra Calliculam montem, inclusus montibus fluminibusque Vulturno et Savone, prope Cales oppidum, unde vix aliquando Hannibal fraude usus ex insidiis Q. Fabii evasit; appellatque eum Suetonius Caes. 20 *maioribus consecratum* i. e., ut existimo, cultura prohibitum pascendo pecori inservisse, sed hominum domiciliis caruisse et religione habitari vetitum, unde fit, ut non *ager*, sed *campus* dici soleat. In eo quod duodena singulis colonis iugera Rullus dare velit, Cicero vituperat eam ob causam, quod *non paulum* ager Campanus a Stellati differat. Differre eos concedunt omnes, sed Rullus quinta parte deteriorem esse putat, Cicero *non paulo* i. e. multo deteriorem esse dicit in eoque vicena iugera vel plus adeo debere describi. Adiicit deinde causam, cur Rullus consulto vel agri Campani bonitatem dissimulet vel Stellatem efferat; multitudinem enim colonorum in Campaniam destinari volebat, ut, si ea nec in ipso agro Campano nec in campo Stellati collocari posset, speciem haberet probabilem omnium oppi-

homines iugera. Quasi vero paulum differat ager Campanus a Stellati!

86 Sed multitudo, Quirites, quaeritur, qua illa omnia oppida compleantur. Nam dixi antea lege permitti, ut quae velint municipia, quas velint veteres colonias colonis suis occupent. Calenum municipium complebunt: Teanum oppriment: Atellam, Cumas, Neapolim, Pompeios, Nuceriam suis praesidiis devincient: Puteolos vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo iure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventiciis copiis occu-

XXXII pabunt. Tunc illud vexillum Campanae coloniae, vehementer

vero paululum differat.

dorum Campanorum suis colonis occupandorum. Uberius haec exposuimus, quia etiam recentissimos interpretes ab sententia huius loci aberrare videmus. Inepte antem codices plerique editoresque praeter Baiterum scripserunt *differat ager Campanus ac Stellatis;* quis enim Tullianae orationis peritus ferat *haec atque illa res differt*, non *haec et illa res?* Adiuvatque emendationem cod. Lag. 9 lectio.

86. *dixi antea*, nimirum § 75. Recenset igitur oppida non procul ab Capua ad mare sita, eorumque tria genera constituit. Primum est eorum, quae nondum ullos colonos acceperant, Cales et Teanum, in altero sunt municipia illa quidem antiqua, sed colonis Sullanis occupata, Atella, Cumae, Neapolis, Pompeii, Nuceria, quae cum tunc in potestate essent eorum quos Sulla deduxerat, Rullus suis hominibus praesidii causa occupare volebat. Supersunt Puteoli, vetus colonia civium, in qua tamen etiam Sulla veteranorum suorum coloniam constituerat. Ac cum inter eas colonias in eodem oppido collocatas contentio oreretur, utrum veteres coloni an Sullae veterani in decurionibus faciendis, in magistratibus mandandis, denique in universa republica plus valerent (Plut. Sull. 37), quamdiu Sullana acta constiterunt, certum est maiorem potentiam fuisse apud Sullanos; sed infractis legibus Corneliis intelligemus veteres colonos libertatem suam recuperasse ac certe aequalitatem cum Sullanis esse adeptos. Cf. comment. nostras epigraph. I p. 259. Tum autem Rullus denuo Puteolos novo populo occupare cogitabat atque ita in suam suorumque potestatem redigere; videbat enim oppidum, in quo optimus ac frequentissimus Italiae portus esset, si ullam potentiam assequi vellet, imprimis esse sibi obtinendum. Citat autem ex hoc loco Martianus Capella V, 536 haec: *Capuam colonis deductis occupabunt, Atellam praesidio communient, Nuceriam cum hac multitudine suorum obtinebunt, cetera oppida praesidiis devincient*, memoriter et satis longe ab verbis Tullianis recedens, item Aquila Romanus de fig. sent. § 43. — *vexillum Campanae coloniae.* Sic rectissime emendavit Lauredanus, cum codices habeant *exilium Campanie* sive *Campaniae.* Etenim coloniae cum muniendi imperii causa deducerentur, antiquo more sub signis militaribus ac vexillo condebantur, quae non tantum in Carthaginiensi colonia C. Gracchi tempore deducta (Plut. C. Gracch. 11),

huic imperio timendum, Capuae a Xviris inferetur: tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quaeretur. In id oppidum homines nefarii rempublicam 87
vestram transferre conantur, quo in oppido maiores nostri nullam omnino rempublicam esse voluerunt: qui tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere. Deleta Carthago est, quod cum hominum copiis tum ipsa natura ac loco, succincta portibus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere in fructuosissimas insulas populi Romani videbatur. Corinthi vestigium

87. *rempublicam nostram.* — *imminere [ita] fructuosissimis insulis.*

verum etiam postea in reliquis, quae proprie militares appellantur, coloniis commemorantnr (App. bell. civ. II, 120 et 141; Cic. Phil. II, 40). Et quidem legimns colonos sub vexillo coisse, tum sub vexillo novam coloniam introisse. Quare Cicero cum vexillnm Campanae coloniae huic imperio timendum esse ait, hoc dicit, timendam esse Romae coloniam Capuae constitutam et *inferre vexillum* Capuae est i. q. coloniam Capuae condere. Scripsimus autem *Capuae,* quia ita cod. 9 exhibet; nec dubium est quin inferre urbi alicui recte dicatur; alioquin etiam *Capuam,* quod Lauredanus coniecit, ferri poterat. — *altera Roma.* Ita Capuam, postquam lege Iulia a C. Caesare cos. coloniam accepit, appellat Phil. XII, 3, 7: *Quemadmodum nostrum hoc consilium Capua probabit, quae temporibus his Roma altera est.* Item supra I, 24 *nullam alteram Romam neque aliam sedem imperii nobis cos. futuram.* Cf. I, 18.

87. *rempublicam vestram.* Sic, non *remp. nostram,* et meliores cod. et sententia ipsa postulat. Dicit enim de potestate imperii Rom. gerendi, qnae cum tnnc esset apud plebem Romanam, ab Rullo Capuam transferebatur. At recte scribitur *maiores nostri,* non hic modo, sed plerumque. Cf. ad § 62. Quomodo antem *nullam rempublicam* Capnae Romani reliquerint, explicat § 88. — *tres solum urbes.* Fnerat etiam quarta, Syracnsae in Sicilia, nec hominum copia nec opibus nec moenibus inferior; sed eam Romani nec delerunt nec gravins omnino pnuiverunt, eamque ob causam ab Cicerone praetermittitur. — *succincta portibus.* Duos enim habebat Carthago, eum, qui mercaturae faciendae inserviebat, alterum, qui Gothon nominabatur, classibns aedificandis atque ornandis. Scripsimns autem *portibus* ex codicum certissima auctoritate, dnbitamnsque an ea forma sola apnd Ciceronem fuerit usitata. Nam certa est in Verr. IV, 53, 118, bona auctoritate commendatur p. leg. Man. 6, 16 et 18, 55; Caesarem quidem ea nnice usum esse constat. — *imminere in fructuosissimas insulas.* Codices omnes habent *imminere ita fructuosissimis insulis,* quod falsnm esse nemo negat. Nec tamen placebit tantum delere particulam, quae, nisi quid subesset, non in omnibns libris ms. constanter legeretur, nec probabitur Klotziannm *iam,* quod si de tempore accipiatur, de praeterita aetate dicitnr, sin connectendis sententiis inserviat, non minus sit inutile qnam *ita.* Qnod Lauredanus coniecit *imminere Italiae ac fructuosis-*

vix relictum est. Erat enim posita in angustiis atque in fauci-
bus Graeciae sic, ut terra claustra locorum teneret et duo maria
maxime navigationi diversa paene coniungeret, cum pertenui
discrimine separentur. Haec, quae procul erant a conspectu im-
perii, non solum afflixerunt, sed etiam, ne quando recreata exur-
88 gere atque eripere se possent, funditus, ut dixi, sustulerunt. De

separarentur. — atque erigere se.

simis insulis, propter duas causas ab Ursino vituperatur, primum quod non immineat Carthago Italiae, deinde quod, si tamen dicatur imminere, dici debeat prius insulis imminere quam Italiae: quod Gebhardt. observ. crit. III p. 14 emendavit *imminere duabus fructuosissimis*, sane bonum est, sed propter codicum nostrorum rationem displicet, in quibus si non omnibus, at plurimis numeralia litteris scribi solebant. Itaque ad id quod editum est, devenimus. Cf. in Verr. V, 56, 145 *iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliae partibus imminebat*, Phil. V, 7, 20 *huius mendicitas — in fortunas nostras imminebat*, VII, 8, 21 *qui in vestras fortunas imminent*, p. dom. 18, 47 *imminere cupiditate in tribuniciam potestatem*, ad Att. XIV, 16, 1 *in Paeti nostri tyrotarichum imminebam*. Quare *imminere in aliquid* est i. q. concupiscendi causa prospectare, cupiditatis oculos in aliquid convertere; nec si iis quos attulimus locis de hominibus concupiscentibus dicitur, non putabimus etiam de Carthagine posse dici vel de populo Carthaginiensi, qui imperium Siciliae et Sardiniae affectarit. Nam hae sunt insulae *fructuosissimae* i. e. frumenti fertilissimae, ex quibus urbis Romae Italiaeque inopiae subveniebatur. — *Corinthi vestigium* cet. Eandem utilitatis rationem in Corintho delenda commemorat de off. I, 11 35 *At Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt; nollem Corinthum, sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari*; at p. leg. Man. 5, 11 propter legatos superbius appellatos Corinthum extinctam esse scribit. Plures igitur ad tantam crudelitatem causae concurrebant. *Angustias* autem *et fauces Graeciae* intelligit isthmum, quem deinde *pertenue* marium *discrimen* appellat: quo loco sita Corinthus et terra facile isthmum claudebat (i. e. *claustra locorum* tenebat) et mare Ionium Aegeumque, quae *navigationi* sive navigantibus diversa sunt i. e. in contrarias eos partes ferunt, coniungit. Scripsimus autem non modo propter codicum consensum, sed etiam propter sententiae necessitatem *separentur*, cum editoribus omnibus placuerit *separarentur*. Diversae enim rationis sunt *teneret* et *coniungeret*, quae antecedunt. Nam tenere claustra locorum et coniungere maria non poterat Corinthus nisi cum staret, Ciceronis aetate nec tenebat nec coniungebat. At isthmus etiam tunc separabat duo maria, ac parum commode dixisset, si in diversis rebus idem tempus posuisset. — *eripere se.* Minus bonum est, quod editores praeter Lambinum omnes scripserunt *erigere se;* neque enim differt ab eo quod antecedit *exurgere*. Cf. p. Planc. 13, 33 *ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa civilibus extollere iam caput et aliquando recreata se erigere debebat?* ad Q. fratr. I, 3, 5 *erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit,*

Capua multum est et diu consultum: extant litterae, Quirites, publicae: sunt senatus consulta complura. Statuerunt homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent, imaginem reipublicae nullam reliquissent, nihil fore quod Capuam timeremus. Itaque hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis, ut

88. *diu consultatum. — magistratum, [senatum,] publicum.*

p. Lig. 13, 38 *non dubito — quin se magis etiam erexerit ab omnique sollicitudine abstraxerit.* At *eripere se* est quod consequitur, si quis exurgat, ut se liberet, ex imperio eripiat. Cf. Caes. bell. Gall. I, 4 *per eos ne causam diceret se eripuit.*

88. *consultum.* Conservandum esse hoc censeo, quod in omnibus libris ms. est, nec recipiendam Lambini emendationem *consultatum.* Nam si frequentativum saepe est i. q. deliberare, cur non sit simplex verbum? Ac constat ita usurpari apud Livium, Caesarem (bell. Gall. VII, 83), quare etiam de Cicerone, quamvis similis eius locus afferri nequeat, facile credemus. — *litterae publicae.* Acta magistratuum intelligo, etiam populiscitum, etsi de eo non narratur. Sed *monumenta vetera* paulo post dicit annales veteres scriptorumque de rebus Romanis historias. Velnti Livius de Capuae, postquam bello Punico altero a Romanis recuperata est, excidio haec narrat, libr. XXVI, 16, quae praeclare hunc locum illustrant: *De urbe agroque reliqua consultatio fuit, quibusdam delendam censentibus urbem praevalidam, propinquam, inimicam. Ceterum praesens utilitas vicit; nam propter agrum, quem omni fertilitate terrae satis constabat primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes: urbi frequentandae multitudo incolarum libertinorumque et institorum opificumque retenta: ager omnis et tecta publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum tamquam urbem Capuam frequentarique placuit: corpus nullum civitatis nec senatus nec plebis concilium nec magistratus esse: sine consilio publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore: praefectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros.* Cum quibus conferenda sunt, quae supra orat. I, 6, 19 dicit. Praefectum autem illum, quem Livius commemorat, constat fuisse unum ex IVviris in Campaniam, qui quotannis a populo Romano fiebant, quae equestris fuit dignitas primaque adolescentium illustrium; nam pari cum Capua iure alia quaedam Campaniae oppida constituta sunt, sed nobilissimae olim urbis clades maxime celebratur. Fuerunt autem, qui illo Livii loco, quem attuli, abuterentur, ut vocabulum *senatum* tamquam supervacaneum atque ab librario male insertum eiicerent. Sed Cicero per gradus quosdam a minore ad maiora ascendit. Possunt enim civitates magistratibus tantum carere, quo ex genere quae praefecturae appellantur sunt, severiore iure utuntur, si quibus senatus sive decuriones non conceduntur: prorsus vero seditionis suspectae sunt, quibus non modo illa, non modo plebis concio, sed *nullum publicum consilium* permittitur i. e. ne collegia quidem opificumque sodalicia, quae publice constituta publicorum con-

esset urbs, quae res eas, quibus ager Campanus coleretur, suppeditare posset, ut esset locus comportandis condendisque fructibus, ut aratores cultu agrorum defessi urbis domiciliis uterentur,
XXXIII, 89 idcirco illa aedificia non esse deleta. Videte quantum intervallum sit interiectum inter maiorum nostrorum consilia et inter istorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt: hi, expulsis aratoribus, effusis ac dissipatis fructibus vestris, eandem Capuam sedem novae reipublicae constituunt, novam contra veterem rempublicam comparant. Quodsi maiores nostri existimavissent quemquam in tam illustri imperio

89. *constituunt, molem contra. — existimassent.*

siliorum speciem praebere possint. — *eas res, quibus ager — coleretur* i. e. aratra, instrumentum rusticum. Pertinent huc *institores opificesque* quos Livius commemorat. Paulo post verum sine dubio est *comportandis* (cf. § 89 *cellam atque horreum Campani agri*), etsi omnes cod. nostri habent *comparandis*. Illud coniecit Lauredanus inventumque est in codicibus quibusdam diversae originis.

89. *intervallum* i. e. discrimen, ut p. C. Rab. 5, 15 *Cum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te atque illum interiectum esse putas?* Commemoro, ne quis Ernestio vocabulum eiicienti assentiatur. — *novam contra veterem rempublicam comparant.* In libris ms. sine dissensu legitur *molem contra vet. remp. comp.*, quod miror ab editoribus omnibus esse relictum. Nam *moles* proprie dicitur de saxis in mare coniectis ac coacervatis, quibus fluctuum impetus frangatur, tum translate de rebus magnis vel ingentibus, ut in Cat. I, 9, 23 dicit *molem invidiae*, III, 7, 17 *molem mali*, sed h. l. quid erit *moles*, praesertim cum ne genitivus quidem adiiciatur? Utendum igitur est coniectura scripsimusque quod a litteris traditis non multum recedit *novam*, ut diceretur Rullus primum sedem novi imperii i. e. Capuam ipsam condere, tum *novam rempublicam*, cuius sedem collocasset, *comparare* i. e. homines undique frequentiae causa cogere, optimo agro ornare, opibus cuiusvis generis instruere. Nec eiusdem vocabuli repetitio nobis molesta erit atque ut *respublica* bis ponitur, item adiectivum idem cum vi quadam repeti putabimus. — *reipublicae disciplina.* Verius hoc esse arbitror, quam quod adhuc editum est *populi Romani disciplina.* Duas enim causas affert, cur nemo de Capua colonia, quae statim imperio potitura sit, cogitare debeat. Prima est quod *illustre* est imperium, ut neminem eius paenitere debeat, altera, quod respublica praeclaris legibus atque institutis temperata est, quae quemvis ne talem legem ferret, retinerent. At *civitatis* ot *populi* disciplina magis ad privata instituta videtur pertinere. Cf. Cic. Hortens. apud Non. s. v. cognoscere: *Unde autem facilius, quam ex annalium monumentis aut bellica res aut omnis reipublicae disciplina cognoscitur?* —

et tam praeclara reipublicae disciplina M. Bruti aut P. Rulli similem futurum (hos enim nos duos adhuc vidimus qui hanc rempublicam totam Capuam transferre vellent), profecto nomen illius urbis non reliquissent. Verum arbitrabantur Corinthi et 90
Carthagini, etiamsi senatum et magistratus sustulissent agrum-

praeclara populi Romani disciplina. — Capuam totam.

M. Bruti. Est M. Iunius Brutus, praetor ann. 88 a Chr., in quo magistratu cum a P. Sulpicio trib. plebis Nolam ad exercitum L. Sullae adimendum missus esset (Plut. Sull. c. 9), ubi nihil effecit ac Sullae gratia superatus est, cum undecim aliis Sullae inimicis proscriptus est (App. bell. civ. I, 88). Quam proscriptionem postquam effugit, rediit Sulla in Asiam adversus Mithridatem profecto cum Marianis atque anno 83 a. Chr. tribunatum gessit (Cic. p. Quinct. 20, 65). In eo tribunatu legem Iuniam de colonia Capuam deducenda tulit (nam tulisse eum legem ex hoc ipso loco, quo cum P. Rullo comparatur, colligemus et tulisse in tribunatu ex eo discimus, quod C. Caesarem primum post Q. Cassium in consulatu de lege agraria tulisse constat), tum ipse III vir deducendae coloniae creatus deduxit, ut Sullae tum maxime adventanti firmum Marianorum praesidium opponeretur. Eundem autem infra § 92 Cicero narrat acerbissimas impiorum poenas pertulisse, nimirum interfectum a L. Sulla, cum inimicos proscriptione ulcisceretur, referoque ad eum, quod Livius ep. LXXXIX et App. I, 95 M. Brutum tradunt, cum Cn. Carbone imperatore in Sicilia bellum gereret, Lilybaei a Cn. Pompeio oppressum interisse. Fuerunt autem, qui hunc Brutum patrem eius esse existimarent, qui postea propter dictatoris Caesaris caedem celebratus est, sed parum id est probabile. Vide commentationes nostras epigraph. I p. 245. Sed M. Brutum et P. Rullum auctores Campanae coloniae cum Cicero commemoret, iure miramur silentio ab eodem praeteriri L. Sullam, qui postquam coloniam a Bruto Marianisque incohatam disiecit, ipse in agro Campano suorum hominum coloniam constituit, quae *urbana* appellabatur. Ea colonia constitit post Sullam, ipsoque tempore, quo Cicero hanc orationem habuit; postea demum ab Augusto, ut videtur, in coloniam magnam illam Campanam attributa est (Plin. nat. hist. XIV, 62). Sed causam tacendi hanc fuisse arbitror, quod Sulla suam coloniam non in ipsa urbe Capua constituit nec totum ei agrum Campanum divisit, sed in parte tantum parva agri tamquam praesidium quoddam imposuit. Quare Cicero si prorsus vere ac sine Rulli invidia narrare vellet, Sullam quoque nominare debuit: nunc cur taceret, habebat. Nec tamen sine causa h. l. duos tantum fuisse ait, qui *totam* rempublicam Capuam transferre vellent; nam Sulla nec totum agrum occuparat nec de transferenda republica cogitarat. In verbis ipsis bis Lauredanum secuti ab codicum fide discessimus, primum quod Bruto praenomen, quod codices ignorant, addidimus (nam eius mutationis necessitatem P. Rulli similitudo affert), deinde libri ms. habent *videmus*, quod temporum ratio non patitur.

90. *Carthagini.* Hunc loci significandi causa ablativum formari constat, sed Cicero quidem praeterea tantum *Tiburi* habet ad Att. XVI, 3, 1; contra

que civibus ademissent, tamen non defore qui illa restituerent atque qui omnia ante commutarent quam nos audire possemus: hic vero in oculis senatus populique Romani nihil posse existere, quod non ante extingui atque opprimi posset quam plane esset exortum ac natum. Neque vero ea res fefellit homines divina mente et consilio praeditos. Nam post Q. Fulvium Q. Fabium consules, quibus consulibus Capua devicta atque capta est, nihil est in ea urbe contra hanc rempublicam non dico factum, sed nihil omnino excogitatum. Multa postea bella cum regibus,

90. *atque [qui] omnia.* — *plane exortum ac natum esset.* — *in illa urbe.* — *omnino est cogitatum.* — *bella gesta cum.*

ad Att. XIV, 4, 2 item de loco *Carthagine.* Paulo post de Turnebi coniectura edidimus *magistratus,* non *magistratum,* quod codices habent. Neque enim singularis Latine de pluribus magistratibus dicitur, de pluribus autem magistratibus debet dicere, quia non modo si quis unus summus esset in illis urbibus magistratus (ac Capuae quidem unus fuerat summus, qui Medixtuticus vocabatur, Liv. XXVI, 6), verum etiam reliquos inferiores sublatos esse significare vult. Itaque etiam supra § 88 dixit *magistratus, senatum.* Nec profecto codicum nostrorum non ea est vitiositas, ut non facile talem errorem accidere potuisse intelligamus. Nec tamen rursus paucis verbis post cum codices habeant *atque qui,* animum potuimus inducere, ut Ernestium pronomen delentem probaremus. Facilis sane haec esset emendatio, sed licet alios intelligere, qui veteres magistratus restituere velint, alios, qui omnia commutent, nec in iis rebus, quae aliquam explicandi rationem admitterent, sententiae proprietas videbatur esse delenda. Cf. supra ad § 81. — *quam plane esset exortum.* Codices omittunt verbum *esset,* quod eleganter omitti cave Garatonio credas. Nam ex natura atque origine cum *antequam* non minus cum verbo coniungi oporteat quam reliqua relativa, omitti id posse crediderim, ubi *est* vel *esse* suppleatur; quamquam apud Ciceronem quidem nullum eiusmodi exemplum reperi, sed h. l. intelligeretur *esset.* Itaque excidisse arbitror ante syllabam *ex* praecedente etiam littera *e.* — *post Q. Fulvium Q. Fabium consules.* Error h. l. magnus est de re una prope maxima belli Punici, quam cuivis Romanorum notissimam esse crederes. Nam Capua capta est anno 211 a. Chr. Cn. Fulvio Centumalo P. Sulpicio Galba cos., illi autem, quos Cicero nominat, consules, Q. Fulvius Flaccus IV Q. Fabius Maximus Verrucosus V, fuerunt anno 209, quo Tarentum receptum est. Nec tamen hic error est librariorum, sed ipsius Ciceronis. Qui cum Q. Fulvium ex consulatu, quem tertium anno 212 gessit, nosset praecipue in expugnanda Capua versatum esse, collegae eius App. Claudii non meminit, sed celebre par Fulvium et Fabium commemoravit. Corrigendi igitur locus non est, notandus tantum summi viri in re celeberrima error. — *nihil omnino excogitatum.* Minus sine dubio hoc est quam si diceret *cogitatum* (ac sunt quidam cod., qui habeant *nihil omnino est cogitatum*), sed idem verius. Nam quid cogitarint homines

Philippo, Antiocho, Perse, Pseudophilippo, Aristonico, Mithridate et ceteris: multa praeterea bella gravia, Carthaginiense, Corinthium, Numantinum: multae in hac republica seditiones domesticae, quas praetermitto: bella cum sociis, Fregellanum, Marsicum: quibus omnibus domesticis externisque bellis Capua non modo non obfuit, sed opportunissimam se nobis praebuit et ad bellum gerendum et ad exercitus armandos et tectis ac sedibus suis recipiendos. Homines non inerant in urbe, qui malis con- 91
tionibus, turbulentis senatus consultis, iniquis imperiis rempublicam miscerent et rerum novarum causam aliquam quaererent; neque enim contionandi potestas erat cuiquam neque consilii capiundi publici. Non gloriae cupiditate efferebantur, propterea

Persa. — bellum instruendum. — exercitus ornandos. — 91. cuiquam nec consilii.

Capuae, vix dici potest, sed quod excogitatur quamvis nullum effectum habeat, proditur tamen ac cognoscitur. — *bella cum regibus.* Recte codex Lag. 9 omittit, quod reliqui inserunt *bella gesta cum regibus,* in quo non minus verbum cogitatione suppletur. Sic deinde *multa praeterea bella gravia, multae — seditiones, bella cum sociis,* in quibus omnibus intellige *fuerunt.* Tum regum bella ex temporis ordine enumerat; nam Andrisci sive Pseudophilippi in Macedonia fuit anno 149, Aristonici in regno Pergameno anno 132 a. Chr. Ultimo loco commemorat *Mithridatem et ceteros* (nam haec ita coniungenda esse ipsa particula adiecta indicat), cum alios regulos intelligens, tum Tigranem, Armeniae et Syriae regem. Scripsimus autem ablativum *Perse* ex cod. 9 auctoritate, postulante usu Tulliano. Nam nominativus est *Perses* (in Cat. IV, 10, 21), genitivus *Persae* (supra § 50), dativus *Persae* (Tusc. V, 40, 118), acc. *Persen* (in Verr. I, 21, 55; p. leg. Man. 18, 55; de nat. deor. II, 2, 6; de fin. V, 24, 70), abl. *Perse* (Tusc. III, 22, 53) neque ulla in his formis reperitur varietas. — *Carthaginiense.* Hoc olim de coniectura edebatur, a nobis ex optimo codice scribitur. Nam vulgares omnes exhibent *Carthaginiensium* vel similiter, unde Lanredanus efficiebat *Carthaginiense III* i. e. *tertium,* parum probabiliter. Nam Carthaginiense appellatur bellum, quod de ipsa urbe Carthagine gestum est, cuius generis unum omnino fuit. Punica quidem recte possunt tria discerni. — *seditiones domesticae.* Poterat autem nominare Marianam anni 88, Octavianam anni 87, Sullanam anni 83, M. Lepidi anni 78, quas ne civilium discordiarum memoriam renovet, praetermittit. Cum sociis quidem duo tantum fuerunt bella, Fregellanum, quod anno 125 L. Opimius praetor Fregellis captis oppressit, et ingens illud Marsicum anno 91. Paulo post ut *ad bellum gerendum* et *ad exercitus armandos* ederemus, auctoritate optimi codicis moti sumus; nam quod reliqui habent *ad bellum instruendum* (cf. supra § 77) *et ad exercitus ornandos* non minus bonum est.

91. *Non gloriae cupiditate — esse non potest.* Adhaesit huic senten-

quod, ubi honos publice non est, ibi gloriae cupiditas esse non potest. Nihil enim supererat de quo certarent, nihil quod contra peterent, nihil ubi dissiderent. Itaque illam Campanam arrogantiam atque intolerandam ferociam ratione et consilio maiores nostri ad inertissimum ac desidiosissimum otium perduxerunt. Sic et crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italia pulcherrimam non sustulerunt, et multum in posterum providerunt, quod nervis urbis omnibus exectis urbem ipsam solutam
XXXIV, 92 ac debilitatam reliquerunt. Haec consilia maiorum M. Bruto, ut

potest, non contentione, non ambitione discordes. — Campanam arrogantem atque. — omnibus urbe exsectis.

tiae in omnibus praeter unum codicibus turpe additamentum, *non contentione, non ambitione discordes*, quod cum nescio quis universae sententiae interpretandae causa adiecisset, ab aliis ipsi Tullio ascriptum est. Convincitur autem non tam auctoritate cod. 9, qui omittit, nec vocabulo *discors*, quod uno hoc loco apud Ciceronem reperiri videtur (habet enim idem *concors* et *discordia* et *discordare*), sed eo quod verbum *erant* deest, alioque ex genere est, quod supra § 90 *multa alia bella* verbum intelligitur. Unum videatur offensioni esse, quod deinceps *nihil enim supererat* ait addita particula *enim*, etsi proprie nihil quod explicetur, adest. Verum adiicit haec Cicero, ut quietissimos esse Campanos nec esse Capuae, qui remp. misceant, demonstret. Nam quod ante attulerat *neque enim contionandi potestas erat cuiquam*, veram eorum quae antecedunt causam non habet, siquidem si non sit contionandi potestas, non sequitur, ut non possint tamen in urbe esse homines rerum novarum cupidi. Notanda igitur liberior paulo eius particulae usus. Quod paulo post est *quod contra peterent* intellige quod peterent contra alios petentes, de honore imprimis aut magistratu. — *Sic et crudelitatis* cet. Idem expressit Livius XXVI, 16 *Ita ad Capuam res compositae consilio ab omni parte laudabili. — non saevitum incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque, et cum emolumento quaesita etiam apud socios lenitatis species incolumitate urbis nobilissimae opulentissimaeque, cuius ruinis omnis Campania, omnes, qui Campaniam circa accolunt, populi ingemuissent. — nervis urbis omnibus exectis.* Etsi codices omnes habent *eiectis*, quin Nic. Angelius recte emendarit *exectis*, dubitari non debet. Nam imaginem dicendi h. l. Ciceronem ab medicorum arte petisse quae insequuntur ostendunt, cum Capuam *solutam* appellat cum corpore comparans, cuius membra nervis spoliata non amplius quasi astringuntur neque ullam movendi facultatem habent, et *debilitatam*, i. e. membris quibusdam praecipuis privatam. Medici autem non eiiciunt nervos, sed execant similiterque Cicero Phil. XII, 3 *legionum nostrarum nervos nonne his consiliis incidimus?* Acad. I, 10, 35 *Theophrastus nervos virtutis incidit*, Tusc. II, 11 *poetae nervos omnis virtutis elidunt*. Etiam apud Livium VII, 39 *nervos coniurationis eiectos* frustra defendi arbitror, sed minus tamen probo Nic. Madvig. Emend. Livian. p. 155, qui et ibi et h. l. et aliquot aliis *nervos electos* commendat.

antea dixi, et P. Rullo reprehendenda visa sunt: neque te, P. Rulle, omina illa atque auspicia M. Bruti a simili furore deterrent. Nam et ipse, qui deduxit, et qui magistratum Capuae illo creante ceperunt, et qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum poenas pertulerunt. Et quoniam Bruti atque illius temporis feci mentionem, commemorabo id, quod egomet vidi, cum venissem Capuam, coloniam deductam L. Considio et Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, praetoribus: ut intelligatis quantam

92. *reprehendenda [et P. Rullo] visa sunt. — illa M. Bruti atque auspicia.*

92. *reprehendenda* i. e. non modo vituperanda, sed tollenda, nisi quod reprehendere paulo modestius est. Cf. supra § 26 *tum iterum de iisdem iudicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui paeniteret*; p. Planc. 3, 8 *quod patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum.* Quod autem h. l. bis naturalem quasi ac simplicem verborum ordinem restituimus, secuti sumus optimi cod. 9 auctoritatem, quem prorsus fide dignum in hoc genere ducem reperimus. — *illo creante.* Praeclara haec est Turnebi emendatio; nam codices omnes, quod absurdum est habent *et locreanti.* Creare autem Latine magistratum dicitur, qui creando praeest. Sic enim existimare debebimus, cum M. Brutus legem de colonia Capuam deducenda tulisset, factos esse primum IIIviros coloniae deducendae, in quibus princeps quasi erat M. Brutus, deinde ab his IIIviris colonos esse coactos et Capuam deductos, tum collocatis in domibus agrisque novis colonis, unum ex illis IIIviris comitia habuisse magistratuum coloniae creandorum. Qui autem primi IIviri iuri dicundo facti sunt (summus enim hic in coloniis solebat esse magistratus atque inferiore et ordine et potestate erant IIviri aediles), L. Considius et Sex. Saltius, eos cavendum est ne existimemus nimis contemptos ac sordidos fuisse homines. Caesar quidem cum in consulatu Capuam deduceret, primos IIviros instituit Cn. Pompeium et L. Pisonem, clarissimos viros (cf. comment. nostras epigraph. I p. 297), nec Brutus non videtur ab nobilitate primorum magistratuum splendorem aliquem novae coloniae quaesisse: ac Considii quidam apud Ciceronem honestiore loco commemorantur. Quamquam sane, quo tempore Capua ab Marianis condita est, plurimi nobilium ad L. Sullam defecerant. De interitu autem M. Bruti cf. ad § 89. — *quod egomet vidi.* Erat autem tunc Cicero trium et viginti annorum; facta enim haec sunt anno 83 a. Chr. Paulo ante scripsimus *quoniam Bruti* (sic enim codices habent), etsi facilis est coniectura *quoniam M. Bruti.* Sed cum bis iam hominem nominarit ac praenomine nominarit, h. l. etiam solum cognomen feremus. — *quemadmodum ipsi loquebantur, praetoribus.* Num vere hinc, quod IIviros praetorum nomine ornabant, superbia Campanorum convincitur? Multa enim erant vetera oppida, quorum magistratus praetores dicerentur, erant etiam, in quibus esset dictator. Num igitur hoc ipsum nomen superbiam coarguit? Immo amorem antiquitatis passimque vetera oppida La-

locus ipse afferat superbiam, quae paucis diebus, quibus illa co-
93 lonia deducta fuit, perspici atque intelligi potuit. Nam primum, id quod dixi, cum in ceteris coloniis IIviri appellentur, hi se praetores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non cum

quibus illo colonia deducta est. — 93. *ceteris in coloniis duumviri.*

tina habebant praetores ex ultima antiquitate repetitos ac sub imperio Romano conservatos, quibus ob eam causam nomo arrogantiam exprobrabat. Sed vere tamen Cicero in coloniis negat praetores appellari. Nimirum ideo, quod quae coloniae Romanae erant, abdicata quasi antiquitate priscaeque libertatis memoria unum hoc debebant sequi, ut ab Romanis se propagatas esse meminissent. At Campani simulac civitatem suam aliquo modo restitutam viderunt, antiquitatis memoriam renovarunt. Quare non immerito Cicero eos vituperat, sed quod in aliis oppidis atque aliis temporibus risu ac ioco esset persecutus, id in hac oratione invidiose criminatur. Nam quod § 93 eos ait consulum fuisse nomen appetituros, nullos unquam consules municipales fuisse constat, vel quod id nomen lege prohibitum erat vel quod apud ipsos Romanos erat recentius neque in antiquitate municipiorum inveniebatur. — *paucis diebus, quibus illa colonia deducta fuit* i. e. intra paucos illos dies, per quos colonia a Bruto deducta constitit. Quae si anno 83, ut supra dictum est, condita est, eodem anno scimus C. Norbanum cos. ab L. Sulla ad Canusium victum recessisse, tum totam illam regionem a Marianis esse liberatam. Ipsa verba de certissima codicum auctoritate constituimus, atque etiam *illa colonia*, quod cod. 9 praebet, magis placebit, quam quod reliqui codices habent *illo* (i. e. in illum locum) *colonia*, quod fecit, ut varias hic locus virorum doctorum dubitationes moveret.

93. *IIviri*. Sic scripsimus, quamvis in omnibus cod. *duumviri* vel sit vel esse oportere errores varii indicent: omnes enim litteris, non signo, numerum significant. Nec tamen incertum est soloece dici *duumviros*, necesse est dicantur *duoviri*, inscriptionumque auctoritas, in quibus saepe *duoviri*, numquam *duumviri* nominantur, tantum valere debet, ne elegantissimo scriptori vitium manifestum imputemus. Natum igitur esse errorem existimamus posteriore aetate, cum librarii notas numerales litteris expresserunt, revertimusque ad emendatiorem usum. Cf. supra ad § 16. — *anteibant lictores* sq. Abusi sunt hoc loco multi viri docti, ut praetoribus reipublicae Romanae duos lictores fuisse hinc colligerent: quare cum aliis multis certisque testimoniis sex lictores iisdem praetoribus fuisse constaret, sic fere dubitationem composuerunt, ut intra urbem binis, extra urbem senis lictoribus praetores Romanos usos esse docerent. Verum hoc quidem loco num numero lictorum praetores Romani et Campani componuntur? Non videntur nec hoc queritur Cicero totidem lictores fuisse Campanorum ac Romanorum praetorum, sed ornamenta lictorum, qui anteibant, fuisse eadem. Quare si Capuae duo anteibant lictores cum fascibus, non sequitur, ut totidem anteierint Romae. Nec

bacillis, sed, ut hic praetoribus anteeunt, cum fascibus bini. Erant hostiae maiores in foro constitutae, quae ab his praetoribus de

fascibus duobus.

profecto in boc genere adhiberi debet Censorinus de die nat. 24, qui legem Plaetoriam citat, qua caveatur, ut praetor urbanus *duo lictores apud se* habeat *usque supremam ad solem occasum*, ex quibus ipsis verbis apparuisse praetori existimo plures lictores, sed duos ei oportuisse adesse ad solem occasum. Ex Plauto vero Epidic. I, 1, 26, ubi per iocum quaedam significatio de praetura Athenis duobus lictoribus ornata fit, quis de Romana potius quam de municipali praetura colligat? Efficitur ut omnis duorum lictorum, quos praetores Romani babuerint, memoria pereat: eosque non tantum extra urbem, verum etiam intra eam sex fuisse statuere debeamus. Aliis sane praetoriae dignitatis curatoribus binos constat fuisse lictores, ut curatoribus aquarum (Frontin. de aquaed. 100), cf. supra § 32. Totidemque hinc colligimus esse consuevisse municipalium praetorum, quibus si Campani plures solito tribuissent, peculiariter id Cicero incusasset. Ornamenta igitur lictorum nunc Capuae queritur fuisse eadem, quae Romae essent praetorum, nimirum fasces, ac facile credimus Ciceronis aetate fascium usum in coloniis et municipiis vel rarum vel nullum fuisse, sed postea ut toga praetexta a magistratibus reip. Romanae ad omnes etiam levissimos curatores, qui aliquam publicae auctoritatis imaginem sustinerent, transiit, ita fasces passim in usu oppidanorum magistratuum erant: hoc unum cavebatur, ne extra sui quisque municipii fines municipales magistratus baberent fasces, cum populi Romani ubicunque cum potestate essent, iis uterentur. Quare Romae magnorum magistratuum lictores gestabant fasces laeva manu, bacula ab imo tenuiora, a capite crassiora manu dextra (nam et baculo et fascibus eos usos esse docet Cic. in Verr. V, 54, 142), in oppidis fasces abesse iubet h. l. Cicero. Utrum autem *bacula* an *bacilla* appellentur, parum interest; illud habet Cicero in Verr. l. l., hoc ad Att. XI, 6, 2. Hoc quidem loco *bacilla* scripsimus, quod et codicum meliorum fides postulat et minui potius res debet quam augeri. Sed quod in deterioribus quibusdam codicibus additur *praetoribus urbanis*, falsum esse apparet, quod interpretandi causa a librario adiectum est et ab eo librario, qui praetores urbanos intelligeret non eos qui proprie dicuntur, sed omnes, qui in urbe Roma sunt: quare ullis id editoribus placere potuisse miror. Sed aliud boc loco erat, quod cum nondum cuiusquam viri docti animum movisset, magnopere nos vexaret. Etenim cod. omnes tuentur *anteibant lictores — cum fascibus duobus.* Quis ita dicere potest? Quasi fasces separati sint ab lictoribus atque unquam accidere possit, ut aut lictores singuli plures babeant fasces aut plures lictores unos fasces. Cum autem singuli lictores semper singulos habeant fasces, nec singuli, sed certe bini singulis praetoribus lictores totidem fascibus ornati fuerint, non ferendam esse putavimus in optimo scriptore tantam dicendi perversitatem scripsimusque *cum fascibus bini.* Error librariorum ex nota male explicata ortus est recepitque insequens vocabulum antecedentis casum, velut paulo post etsi uno consensu libri ms.

tribunali, sicut a nobis consulibus, de consilii sententia probatae ad praeconem et ad tibicinem immolabantur. Deinde patres conscripti vocabantur. Iam vero vultum Considii videre ferundum vix erat. Quem hominem ut grandi macie torridum, Ro-

ferendum. — *hominem vegrandi.*

habent *probatis*, tamen dubium non est, quin *probatae* recte a Lauredano emendatum sit. — *hostiae maiores* i. e. non lactentes. Sic enim distinguit ipse Cicero de leg. II, 12, 29 *non mutandum est, quibus hostiis sit immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis.* Praetores autem ipsi postquam in forum pervenerunt, in tribunali consederunt ac iuxta eos erat *consilium* cum aliorum hominum in nova colonia illustrium tum pontificum (cf. § 96). Tum primum *probatae* sunt hostiae i. e. diligenter inspectae, num integrae essent et eae, quas diis mactari fas esset; deinde, postquam probarunt et consilium et ipsi praetores, immolatae sunt praecinente *tibicine*, quem in omnibus sacrificiis adesse oportebat, denique *praeco* populo litatum esse nuntiavit. Quid ex hoc ritu, qui in omnibus sacrificiis observabatur, a consuetudine municipali discesserit, difficile est dictu. Leges quidem de his rebus nullas fuisse arbitror, morem autem ita tulisse, ut quicquid Romae magistratus facerent, id paulatim magistratus municipales imitarentur. Nec tam in singulis rebus superbiae indicium erat quam in omnibus coniunctis, quibus Campani suae se reipublicae studere ostenderent. — *Deinde patres conscripti vocabantur.* Non probo interpretes, qui decuriones Campanos nomine patrum conscriptorum ornatos esse explicant. Quis enim *patres conscriptos vocare* Latine ita intelligat? Nec patitur id h. l. orationis perpetuitas. Nam particulam *deinde* quo pertinere dicemus? Si de nomine decurionum intelligemus, ex aequo hoc collocabitur iis, quae dicta sunt de nomine IIvirum et de fascibus praelatis, et de hostiis immolatis, quartumque potius quam alterum Campanae superbiae indicium erit. Quare nos hoc de decurionibus convocatis, in curiam coactis intelligimus. Postquam de nomine IIvirum questus est, describit pompam IIviralem quae a domibus IIvirum per forum in curiam facta est. Rectissime igitur ait *primum* de nomine dicens, *deinde* pompae descriptionem incipiens: ipsam autem pompam ex rei ordine, ut domo processerint, ut in foro consederint, ut hostias immolarint, ut senatum vocarint, exponit. Quare alterum *deinde* intellige deinceps, postquam litatum est. Nec tamen Cicero non queritur patres conscriptos esse nominatos. Nam utebantur IIviri eadem convocandae curiae formula, qua Romani consules in senatu cogendo; alias quidem patres conscripti nunquam de curia coloniarum aut municipiorum usurpatum est. — *ferundum.* Sic omnes h. l. codices habent, ut supra § 91 *capiundi.* Alias eiusmodi formas per has orationes non animadverti eademque constantia § 95 omnes libri ms. *ferendo* praebent. Quod autem *Considii* est, vetustissimorum editorum coniectura extitit; nam codices scribunt *consilii.* — *ut grandi macie torridum.* Editores nunc omnes, quod Lauredanus coniecit, *vegrandi macie torridum* scribunt, insolitum prorsus Ciceroni tribuentes vocabulum. Nam *vegrandis* ubi repe-

mae contemptum, abiectum, videbamus, hunc Capuae Campano praesidio ac regio spiritu cum videremus, Blossios mihi videbar illos videre ac Vibellios. Iam vero qui metus erat tunicatorum 94 illorum? et in Albana et Seplasia quae concursatio percunctantium quid praetor edixisset, ubi cenaret, quo denuntiasset? Nos

contemptum atque abiectum. — *Campano supercilio ac.*

ritur, est *parum grandis*; esse *admodum grandis* dicit Nonius p. 183, sed Lucilii tantum locum citans. Quomodo igitur Ciceroni de coniectura tribuemus? Nec necessaria videtur esse omnis coniectura; nam *ut videbamus* est *ut videre coepimus*. Hominem ipsum intellige et longum fuisse et macilentum. Paulo post ἀσυνδέτως *contemptum*, *abiectum* edidimus; nam quod ex Lambini coniectura Baiterus edidit *contemptum atque abiectum*, quia similiter p. Cluent. 34, 94 *causam pecuniae publicae contemptam atque abiectam putarent* particula interponeretur, numquid eadem adiectiva semper particula vel addita vel omissa usurpari necesse est? Atque ipso tamen illo Cluentianae loco optimus codex particulam ignorat. — *Campano praesidio.* Sic recte codices habent; multitudo enim comitantium inflabat hominem ac Blossiorum similem efficiebat. Quod nunc ex Naugerii, ut videtur, coniectura (nam num in libris ms. reperiatur, incertum esse arbitror) edi solet *Campano supercilio*, parum placet; nam in supercilio tristitiae ac severitatis, non arrogantiae signum est. — *ac Vibellios.* Sic esse appellandos homines, non *Iubellios* vidit Car. Halmius editurque nunc apud Cic. in Pis. 11, 24, Liv. XXIII, 8 et 46, XXVI, 15, alibi confirmantque inscriptiones, in quibus pauci Vibellii inveniuntur. Intelligitur autem Vibellius ille Taurea, nobilis Campanus, Hannibalis amicus, de cuius ferocia ac fortitudine narrat Livius l. c. De *Blossiis* fratribus, qui capta iam Capua coniurationem in Romanos fecerunt, tradit idem XXVII, 3. Olim ex Naugerii coniectura h. l. edebatur *Magios, Blossios*, propterea quod in Pisonem l. l. Decios Magios cum Vibellio Taurea coniungit; sed ibi Pisonis insectandi causa laudat illorum hominum animi magnitudinem, ac Decii Magii Romanorum amici fuerant Hannibalemque a Campanis recipi diu prohibuerant (Liv. XXIII, 7): quare ab hoc loco, quo Campanorum vitia commemorantur, Magiorum mentio rectius abest.

94. *tunicatorum*, non togatorum, quales Romae in foro erant. At Capuae et propter maiores solis calores et quia decoris negligentiores sunt, tunicam solam induebant homines, Romae quidem tantum admodum pauperes. Quare Hor. Epist. I, 7, 65 *tunicatum popellum*, Tac. Dial. de or. 7 *vulgus et tunicatum populum* appellat. — *Albana* sc. via, vicus erat in oppido Capua commemoraturque etiam apud Val. Max. IX, 1; *Seplasia* platea, in qua unguentarii negotiari solebant; cf. Fest. s. v., Ascon. p. 10, Cic. in Pis. 11, 24 et p. Sest. 8, 19. — *quo denuntiasset* i. e. quo dixisset se post cenam iturum. Nam *denuntiare* ut plerumque minantis est, ita nonnunquam est cum gravitate atque auctoritate dicentis. Hoc quidem loco Cicero tunicatae plebis Campanae sermonem imitatur. Est autem haec coniectura R. Klotzii. Paulo

autem, hinc Roma qui veneramus, iam non hospites, sed pere-
XXXV,95 grini atque advenae nominabamur. Haec qui prospexerunt, maiores nostros dico, Quirites, non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis? Quid enim viderunt? Hoc, quod nunc vos, quaeso, perspicite atque cognoscite. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex his rebus, quae ab ipsa natura nobis ac vitae consuetudine suppeditantur, quibus alimur et vivimus. Carthaginienses fraudulenti et mendaces non genere, sed natura loci, quod propter portus suos multis et variis mercatorum et advenarum sermonibus ad studium fallendi studio quaestus vocabantur. Ligures montani duri atque agrestes: docuit ager ipse nihil

94. *qui hinc [Roma].* — 95. *prospexerint.* — *ex iis rebus.* — *nobis ad vitae consuetudinem.* — *Ligures duri.*

post cave credas iis, qui nomen *Roma* deleri velint, quod ut potest abesse, ita omni auctoritate defenditur.

95. *Haec qui prospexerunt.* Necessario prospiciendi hoc verbum, quamvis infirma codicum auctoritate commendaretur, erat scribendum. Nam *haec* sunt ea, quae sua aetate in colonia Campana condenda Cicero accidisse dixit, quae maiores ne acciderent, prospexerant; nam futura non perspiciuntur. Sed paulo post *perspicite* pertinet ad ea, quae de moribus hominum disputat. Verum necessarius erat indicativus, qui bona alioquin auctoritate defenditur; certos enim homines dicit eosque adeo nominat. — *Non ingenerantur* cet. Alii hominum mores genere effici putant, ut suorum quisque maiorum sit similis, alii locis ac vitae, in qua quisque versetur, plus tribuunt. Alteram hanc sententiam luculenta oratione Cn. Manlius Vulso exequitur apud Liv. XXXVIII, 17, eandemque Cicero hoc loco causae suae serviens amplectitur. *Non ingenerantur,* inquit, *mores a stirpe generis ac seminis* (ut Phil. IV, 5, 13 est *virtus propria est Romani generis et seminis*); nam genus ipsum nascitur ex stirpe recteque Cicero Brut. 58, 212 *Scipionis genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum,* quare quod remotius est, recte dicitur *ab* stirpe generari, sed *ex* rebus, quas genus vitae suppeditat. Verum deinceps vitiose habent codices omnes *ab ipsa natura bonis a vita consuetudine suppeditantur;* nam de Turnebi libro vetere, qui habuisse narratur *ab ipsa natura nobis ad vitae consuetudinem,* num ms. fuerit dubito. In quo tamen quod est *ab ipsa natura nobis,* vera coniectura effectum esse arbitror: quod quidem olim vulgabatur *ab ipsa natura loci,* cum a litteris, quae traditae sunt, non longius recedat, ideo minus probo, quod naturam loci non arbitror tamquam deam aliquam posse cogitari, *a* qua hominibus res ad vivendum necessariae suppeditentur. Sed in reliquis, etsi Turnebiani libri lectio non improbanda est, quae ad litteras in codicibus nostris traditas propius accedere viderentur, tenuimus. — *Ligures montani.* Iniuria quidam codices Germanici, qui hominum male doctorum studio emendati sunt, adiectivum omittunt Li-

ferendo nisi multa cultura et magno labore quaesitum. Campani semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa apta est arrogantia, qua a maioribus nostris alterum Capua consulem postulavit: deinde illa luxuries, quae ipsum Hannibalem armis etiam tunc invictum voluptate vicit. Huc isti Xviri cum numerum IↃↃ colonorum 96

illa nata est arrogantia, quae. — deinde ea luxuries. — 96. cum IↃↃ colonorum.

guresque tantum appellant. Pertinent enim Ligures etiam ad mare eaque pars habet agros fertilissimos. Quare *montani Ligures* solent distingui ab scriptoribus, ut a Strab. IV, 6, 4, quorum terram idem V, 2, 1 ait esse asperam et saxosam. — *urbis salubritate, descriptione.* Similia supra de Mytilenis praedicarat § 40, nisi quod hic *salubritatem* adiecit, quae nec illic laudari potuerat et in Italiae agris fructuosis notabilior est. — *apta est arrogantia.* Cum codices ms. habeant *apta* aut *acta sunt*, recte videtur emendasse Madvig. ad Cic. de fin. V, 10, 28 *est* pro plurali *sunt.* Nam hunc pluralem quem veteres editores, quasi *arrogantia* et *luxuries* generali sententia comprehenderentur, tulerunt, verborum collocatio non patitur, quod *primum* anteponitur; minus autem probamus, quod Nic. Angelius pro eo quod est *apta*, coniecit *nata.* Plus enim significat *aptum esse ex aliqua re* (eoque dicendi genere Cicero delectatur) quam natum esse. Nam quod natum est, ab eo, unde natum est, potest avelli ac per se constare; quod aptum est, nunquam potest divelli: Cicero autem h. l. id agit, ut copiam atque omnium rerum affluentiam doceat nunquam ab arrogantia posse dirimi, necessario ea inter se vinculo contineri, ut, si nova in agrum Campanum colonia deducatur, ea non possit non item in arrogantiam incidere. Scripsimus autem paulo post ex optimi cod. fide *qua*; nam quod reliqui habent *quae,* paulo durius est ac prope poetae simile, ut arrogantia ipsa consulem postulasse dicatur. Luxuries quidem rectissime etiam a Cicerone dici potest Hannibalem corrupisse ac vicisse. Res ipsa, quam Cicero significat, narratur apud Liv. XXIII, 6, antequam foedus cum Hannibale iniretur, legatos Campanos Romam missos esse, qui postularent ut alter consul Campanus fieret: sed ipso non ponit pro certo, Cicero communem populi, ut videtur, opinionem secutus non dubitat. — *illa luxuries.* Sic nos de coniectura scripsimus; nam optimi cod. habent *et ea luxuries*, nec particulam *et* tamquam repetitione ortam placebat delere.

96. *cum numerum IↃↃ colonorum.* Meliorum codicum auctoritas haud dubie tuetur *numerum*, omnes autem adiiciunt *modo colonorum.* Quare certe quod olim edi solebat *cum numerum colonorum*, verum esse non videbitur, praesertim cum sententia ipsa numerum definiri postulet. Nec Lauredani coniectura ingeniosa *cum IↃↃ colonorum* i. e. *cum quinque milia colonorum* prorsus satisfacit; addidimus nos quidem illud quod codices tuentur substantivum. Sic recte hic locus videtur esse constitutus, neque obstat quod tantum colonorum numerum in agrum Campanum constipari posse negarat

ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint, quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis? Romam in montibus positam et convallibus, coenaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, prae sua Capua planissimo in loco explicata ac prae illis aedibus irridebunt atque contemnent: Veios, Fide-

explicata ac praeclarissime sita irridebunt. — contemnent; agros vero, Vaticanum et Pupiniam, cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt. Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum ac iocum contendent: Labicos, Fidenas.

§ 79. — *centum decuriones.* Tot enim in omnibus coloniis et fere etiam in municipiis fieri solebant, vocabanturque inde saepe *Cviri.* De numero augurum et pontificum, qui in aliis coloniis fieri consuerit, non traditur; sed ne hunc quidem solito maiorem fuisse indico atque id tantum Cicero dicit *cum coloniam constituerint,* quod per numeros adornans plebem imperitam terret. — *coenaculis sublatam atque suspensam.* Coenacula quae sint, explicat Varro de ling. lat. V, 33, 45: *ubi coenabant, coenaculum vocitabant — posteaquam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa coenacula dicta.* Aedificia igitur ait propter hominum multitudinem fuisse alta, quare imperator Augustus plus quam septuaginta pedum esse vetuit (Strab. V, 3, 7). Item de angustiis viarum saepe querebantur Romani, ac Tacitus Ann. XV, 38 scribit: *artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus vicis, qualis vetus* (i. e. ante Neronis incendium) *Roma fuit.* Quod Cicero *vias* et *semitas* distinguit, non proprie loquitur, sed vias appellat maiores atque ad currum quoque usum destinatas, semitas eas, quibus pedites tantum utebantur. Quare cum duas res (nam montium et convallium mentio tantum ad viarum angustias excusandas valet) in urbe Roma vituperarit, easdem in Capua laudans commemorat primum *planissimo in loco* eam *explicatam* i. e. ita sitam, ut viae sint et latae et directae, tum narrari oportet de aedificiorum descriptione ac pulchritudine. Codices autem habent *ac prae illis semitis,* quod cum semitae semper angustae intelligantur, minus aptum esse putamus. Nec tamen aut Klotzianum *ac praeclarissimis viis* aut Baiterianum *ac praeclarissime sita* placet (ita enim una res bis repetitur, altera omittitur) scripsimusque *prae illis aedibus,* ut aedes in plano positae neque in altum sublatae ac suspensae (atque ita proprie dicuntur) coenaculis opponantur atque pronomen *ille* laudem pulchritudinis contineat. Est autem totus hic locus mendosior in codicibus ac bis supra Nic. Angelii coniectura utendum erat; nam libri ms. omnes praebent *optimis suis* et *pro sua Capua.* Longe autem maius vitium deinceps sequitur. Omnes enim praeter unum cod. Lag. 9 codices habent satis multa verba, quae nos in commentario critico posuimus, quae a librario explicandi causa videntur esse inserta, pariter atque ea, quae supra § 91 delenda fuerunt. In iis primum sententiarum connexio est perversa. Quis enim ferat *agros vero — conferendos non putabunt, oppidorum autem — copiam. — contendent?* Deinde altera sententia de oppidis finitimis prorsus supervacanea,

nas, Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria comparabunt. Quibus illi rebus elati et inflati fortasse non continuo, 97
sed certe, si paulum assumpserint vetustatis ac roboris, non continebuntur, progredientur, longius efferentur. Singularis homo privatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet: nedum isti a

97. *progredientur longius, efferentur.*

insequnutur enim nomina oppidorum. Contra si ab interprete haec adiecta putamus, quantopere conveniunt interpreti! *Agros conferendos non putabunt*, nimirum, etsi saepe de ubertate agri Campani dixit, h. l. non comparat; *oppida autem per risum ac iocum contendent*, comparat videlicet nominatim. Itaque delere haec non dubitavimus. Etsi dubitationem aliquam iniiciebat, quod *Pupiniae* sterilitas commemoratur (nam Vaticani vini certe infamia cuivis nota esse poterat); eius enim mentionem faciunt tantum Columell. I, 4, 3 et Varro de re rust. I, 9, 5. Doctum igitur fuisse oportet, quisquis haec adiecit. — *Veios.* Codices omnes habent *vicos*, sed Beroaldus iam edidit *Lavicos*, reliqui *Labicos*. Nobis id oppidum non placet, non modo, quod codicum lectioni syllabam praemittere nolumus, verum etiam quod Labici prope Tusculum iacebant ac remotiores ab Roma erant quam Fidenae et Collatia. Illud etiam nos movebat, qnod Cicero, cum finitima oppida enumeraret, non videbatur nullum, quod ultra Tiberim esset, nominare posse. Quare *Veios* scripsimus, in quo et litteras nobis traditas proxime secuti sumus et locorum quendam ordinem; sunt enim Veii ultra Tiberim nec multo longius ab urbe distant quam Fidenae. Quantopere autem oppida omnia, quae circa Romam erant, magnitudine urbis oppressa paulatim interierint, ostendit ipse Cicero p. Planc. 9, 23; Strabo quidem V, 3, 2 Collatiam et Fidenas et alia oppida suo tempore vicos esse ait privatorumque hominum possessiones. Contra Campania imprimisque oppida ad illud mare sita maxime florebant et hominum multitudine et mercatura.

97. *longius efferentur.* Sic haec sunt coniungenda, ut rite a minore ad maius ascendatur. *Non continebuntur*, i. e. iis quae habebunt, contenti non erunt, *progredientur* extra fines et coloniae et officii, *longius efferentur*, i. e. non consistent paulum egressi, sed plura acquirere cupient. Si adverbium ad progrediendi verbum referas, et gradatio haec pereat et illud ineptum existat, quod merito Ernestio displicebat, ut *elati efferri* dicantur. Nunc illud participium ad animum referemus, qui ubi elatus erit, sequetur, ut etiam in agendo fines propositos excedas. — *singularis homo privatus.* Opponuntur *isti coloni*, in quo et multitudo inest et publici muneris significatio, siquidem coloni sunt, qui publice deducuntur. *Singularis* autem supplet adiectivi *singuli* numerum singularem, qui Latine non reperitur, conferendumque maxime, quod Caesar bell. Gall. VII, 8, 3 habet: *Ne singulari quidem unquam homini eo tempore anni semitae patuerant.* Rarum autem est, quod deinde legitur *sese regionibus officii — continet*, ut regiones sint i. q. fines, sed simile tamen

Rullo et Rulli similibus conquisiti atque electi coloni Capuae in domicilio superbiae atque in sedibus luxuriosis collocati non statim conquisituri sint aliquid sceleris et flagitii: immo vero etiam hoc magis quam illi veteres germanique Campani, quod in vetere fortuna illos natos et educatos nimiae tamen rerum omnium copiae depravabant, hi ex summa egestate in eandem rerum abundantiam traducti non solum copia, verum etiam insolentia commovebuntur.

XXXVI, 98 Haec tu, P. Rulle, M. Bruti sceleris vestigia quam monumenta maiorum sapientiae sequi maluisti. Haec tu cum istis tuis auctoribus excogitasti, ut vetere vectigali ex republica erepto

ab Rullo. — *sedibus luxuriae.* — 98. *ut vetera vectigalia .... ea expleretis novo ... urbi.*

prorsus reperitur p. Arch. 11, 29 *si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas.* — *sedibus luxuriosis.* Non opus videtur esse, quod quidam interpretes emendarunt *sedibus luxuriae,* nimirum quod antecederet *domicilio superbiae.* Hoc ait: coloni isti, a Rullo ad scelus electi (cf. § 77), si Capuam in domicilium superbiae, i. e. ubi superbia habitare solet ac semper extitit, ubi ipsa veterum Campanorum memoria corrumpeutur, pervenerint, facile ad omnia mala efferentur, sed efferentur eo magis, quod ipsa illa colonia sedes luxuriosas praebet. **Est igitur in illa** coniectura similis rei repetitio, in codicum lectione nova sententiae vis additur. Nec profecto damnabimus quod est *conquisituri sint,* quamvis antecedat colonos esse conquisitos atque electos: immo acumen quoddam ex repetitione videtur quaerere *cum conquisiti sint, ipsi etiam aliquid conquirent.*

98. *Haec tu cum istis tuis auctoribus excogitasti* seq. Pronomen *haec* eodem pertinere oportet quo prius *haec,* in quo cum M. Bruti scelus commemoretur, intelligemus ea, quae de colonia Capuam deducenda acta erant: quae Rullus excogitavit, ut novam urbem opponeret i. e. eo consilio, eam ob causam, ut opponeret. Quare quae ad § 100 sunt, versantur in consiliis Rulli explicandis, quae cum sequeretur, illam Capuae condendae rationem iniit. Exequitur enim oratorie ad iram plebis excitandam, quae in orat. I, 7, 22 sic dixerat: *Quid enim existimatis integrum nobis in republica fore, aut in vestra libertate ac dignitate retinendum, cum Rullus atque ii, quos multo magis quam Rullum timetis, cum omni egentium atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento atque auro Capuam et urbes circa Capuam occuparint?* Quae dum exornat, omnia, quae supra in lege Servilia singillatim refellenda disputarat, breviter repetit, non eodem ordine, sed fere inverso, ut quae ex potestate Xvirum consequebantur, extremo loco poneret, ab iis, quae Capua condita efficerentur, inciperet, reliqua in medio collocaret. Quamquam hanc rationem longe planius ac facilius intelligeremus, nisi libri ms. ab principio huius loci admodum essent vitiosi. Illud quidem leve est, quod omnes habent *cum istis tuis actoribus,* ubi iam Lauredanus emendarat *cum istis tuis auctoribus* paruerantque iure recentissimi editores. Actor enim qualiscunque

novam urbem ad certamen dignitatis opponeretis: ut sub vestrum ius, iurisdictionem, potestatem urbes, nationes, provincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem subiungeretis: ut cum

intelligitur, certe est, qui agit: hoc autem loco Cicero de iis cogitat, qui cum nihil ipsi agerent ipsique in obscuro quasi atque in specula manerent, Rullum tamen ut legem ferret, moverant, de Caesare maxime et Crasso, quos supra § 63 et 65 tecte vituperarat. Hi autem *auctores* recte nominantur (cf. § 12). Sed longe mendosiora sunt deinceps haec in codicibus: *ut vetera vectigalia ea expleretis nova urbi ad certamen dignitatis opponeretis* neque ulla in iis est insignis varietas, nisi quod deteriores fere *novo* habent et in extrema voce *opponeretis* peccant; nam quae in uno Lag. 7 ab altera manu mutata sunt, ea coniecturae, non fidei debentur. Verum quae traduntur cum intelligi non posse constaret, multi librarii lacunam esse statuerunt unius versus vel post vocem *vectigalia* vel post illud quod erat *nova,* crediderunt que ita editores, ut duplicem lacunam utroque quem diximus loco accidisse existimarent. Eas antiquiores Hervagianam recensionem secuti ita explerunt, ut continuationem sententiae abscindentes scriberent *vetera vectigalia venderetis et expleretis nova. Urbi Capuam ad certamen dignitatis opponere. vis, ut sub,* P. Manutius paulo concinnius *vetera vectigalia venderetis et expleretis nova, ut urbi Capuam — opponeretis,* addiditque hoc Lambinus, ut non *expleretis,* sed *expilaretis* ederet; recentissimi denique editores, qui quam illa supplementa incerta essent, cum viderent, nihil praeter codices addiderunt, sed lacunarum signis appositis mutilum locum reliquerunt. Communis igitur omnium editorum haec est opinio, ut duas esse lacunas censeant, ut in priore sententia de vectigalibus corruptis, in altera de Campana colonia agatur. Nos quidem num quibusdam codicibus ms. omnino de lacuna credere debeamus, vehementer dubitamus: qui in hoc ipso lacunarum genere quam sint fide indigni duobus exemplis docebo. Nam infra § 99 in omnibus praeter unum duo vocabula excidisse ostendemus, nec tamen ullus lacunam annotat, contra § 92, ubi est *omina illa atque auspicia M. Bruti,* magna pars lacunam habet, ubi nihil prorsus deest. Quare cum codicibus nostris nihil in hoc genere debeamus tribuere, num sententia postulat lacunam? Editores priores ita explerunt, recentiores ita reliquerunt lacunas, ut de vectigalibus venditis et de Campana colonia deducta dicatur, qua re omnem ordinis rationem perturbant. Nam quis Capuae mentionem inter ea, quae de vectigalium venditione sunt, interiici ferat? Potest utique alterutrum commemorari, ut aut Capua praetermissa de vectigalibus venditis, tum de orbis terrarum iurisdictione, tum de pecunia a Xviris imposita dicat, aut vectigalium mentione omissa, quae postea, ubi de pecunia disputat, satis explicari videatur, tantum de Campana colonia afferat: utrumque coniungi rerum series non patitur. Iam extrema illa *ad certamen dignitatis opponeretis,* quippe quae communiter in codicibus tradantur, certa videntur esse: quae quomodo ad Campanam coloniam non referantur nescio. Itaque huc retulimus erroresque, ut solet in codicibus nostris accidere, in terminationibus fere vocum corrumpendis versatos esse putavimus, maius autem

omnem pecuniam ex aerario exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus, gentibus, ab imperatoribus nostris coegissetis, tamen omnes vobis pecunias ad nutum vestrum penderent: ut iidem partim invidiosos agros a Sullanis possessoribus, partim desertos ac pestilentes a vestris necessariis et a vobismet ipsis emptos quanti velletis populo Romano induceretis: ut omnia municipia coloniasque Italiae novis colonis occuparetis: ut quibuscunque in locis vobis videretur ac quam multis vide-
99 retur colonias collocaretis: ut omnem rem publicam vestris militibus, vestris praesidiis cingeretis atque oppressam teneretis: ut ipsum Cn. Pompeium, cuius praesidio saepissime rempublicam contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives tutati sumus, victoria atque horum conspectu privare possetis: ut nihil auro et argento violari, nihil numero et suffragiis declarari, nihil

99. *militibus; vestris urbibus, vestris.* — *saepissime populus Romanus contra* — *cives victorem atque horum.*

vitium in explendi verbo commissum. Quare scripsimus *vetere vectigali ex republica erepto novam urbem ad certamen dignitatis opponeretis*, in quo si ipsum Ciceronem non assecuti sumus, certe, quod nec a litteris, quae traditae sunt, nec ab sententia abhorreat, videmur effecisse. — *potestatem.* Coniectura haec est Iuntini editoris; nam codices omnes praebent *potestatis.* Animadverte autem, quod *ius, iurisdictionem, potestatem* coniungit. Sub iure habet, qui quamvis levi in re imperat, sub iurisdictione, qui de certa alicuius re iudicat, sub potestate, cui status ac fortuna commissa sunt. De re ipsa cf. § 33 seq. — *ab omnibus regibus, gentibus.* Non cum redigendi verbo, quod antecedit, sed cum eo, quod sequitur cogendi coniunge; vectigalia enim erant praeter reges et gentes. Animadvertenda autem est praepositio *ab,* quae imperatoribus, quorum causa alio legis capite (§ 59) comprehendebatur, necessario anteponitur. Quod de pecunia pendenda addit, ad grande vectigal pertinet, de quo § 56 dicit. — *iidem.* Imprimis hoc tamquam singulare ex lege affert, quod Xviri qui vectigalia vendiderunt, iidem agros emunt. Cf. § 64. De *inducendi* verbo cf. § 70.

99. *vestris militibus.* Facile cod. Lag. 9 paruimus, quod in reliquis inseritur *vestris urbibus* omittenti. Genuit id librarii sedulitas. At oppida certe appellare debuit; quis enim colonias, quas Rullus deducere cogitabat, urbes dixerit? — *tutati sumus, victoria.* Coniectura haec effecimus, sed et certissima et facillima, apparebatque h. l. codicis 9 virtus, qui quod reliqui omiserunt verbum solus addidit. Inde natae sunt multae virorum doctorum dubitationes et emendationes, dum tandem recentissimi editores eiectis, quae libido genuit, lacunam significare quam explere maluerunt. Quod autem ait *horum conspectu privare,* pertinet ad insidias illas Pompeio factas, de quibus § 54 dixit, quibus futurum putat, ut ille e civitate eiiciatur. — *numero et suffragiis.* Est *numero* eorum, qui leges vel accipiunt vel non accipiunt;

vi ac manu perfringi posset, quod non vos oppressum atque ereptum teneretis: ut volitaretis interea per gentes, per regna omnia cum imperio summo, cum iudicio infinito, cum omni pecunia: ut veniretis in castra Cn. Pompeii atque ipsa castra, si commodum vobis esset, venderetis: ut interea magistratus reliquos, legibus omnibus soluti, sine metu iudiciorum, sine periculo petere possetis: ut nemo ad populum Romanum vos adducere, nemo producere, non in senatum cogere, non consul coercere, non tribunus plebis retinere posset.

vi et manu. — non senatus cogere.

maior enim numerus plus valet; *suffragia* ad ea comitia pertinent, quibus honores mandantur. Iniuria igitur haec quibusdam displicuerunt. Paulo post ubi de coniectura est *vi ac manu*, non credidimus paucis et malis codicibus, qui quod placere posset *vi et manu*, ex librariorum emendatione habebant; reliqui, qui ἀρχέτυπον, non suam libidinem sequuntur, cum peccent, quod scripsimus videntur commendare idque olim P. Manutius intellexit. — *volitaretis.* Supra § 34 *quacunque velint, summo cum imperio iudicioque rerum omnium vagari ut liceat conceditur*, § 59 *Volitat enim ante oculos istorum Iuba*, quare *vagari* et *volitare* coniunguntur, ut Phil. XI, 3, 6 *Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex.* — *legibus omnibus soluti* i. e. liberi ab omnibus legibus, non quod excepti essent nominatim, sed quod alia ratione iis non tenerentur. Nam iudicia non timent, qui per quinquennium potestatem habent, alios magistratus, i. e. praeturam et consulatum petere possunt, quia in iis legibus, quae continuari magistratus vetant, Xviri non nominantur. Cf. § 34. — *ad populum Romanum vos adducere* i. e. in iudicium populi vocare. Proprie et *in ius educi* dicuntur (vide Cic. p. Planc. 23, 55, p. Quinct. 9, 33, in Verr. III, 23, 56) et *in iudicium adduci*, velut p. Rosc. Am. 10, 28 *condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset*, p. Cluent. 17, 48 *quis apertior in iudicium adductus est?* At *producuntur* testes quique testium loco interrogantur, velut magistratibus licebat non modo alios magistratus, verum etiam privatos homines in contione interrogare. Sic Cic. epist. XII, 3 *productus in contionem a Cannutio — ea dixit*; p. Sest. 14, 33 *consules producti in circo Flaminio in contionem*; p. dom. 15, 40 *tu M. Bibulum in contionem, tu augures produxisti*; in Verr. I, 47, 122 *tribunus plebis — cum eum, quem iste virgis ceciderat in conspectum populi Romani produxisset*; ad Att. II, 24, 3 *Caesar — Vettium in rostra produxit*, saepius. Sed paulo post iniuria omnes recentiores editores ab codicibus deficere videmus scribentes *non senatus cogere.* Nam senatus ipse, si proprie loquamur, cogere non potest. At *in senatum cogere* est compellere, ut in senatum venias, non modo ut adsis et audias et decernas (quemadmodum legitur Phil. I, 5, 11 *Quid tandem erat causae, cur in senatum hesterno die tam acerbe cogerer*), verum etiam ut interrogatus respondeas. Modo Xviros dixit non posse cogi, ut apud populum rationem reddant; nunc

100 Haec ego vos concupisse pro vestra stultitia atque intemperantia non miror: sperasse me consule assequi posse demiror. Nam cum omnium consulum gravis in republica custodienda cura ac diligentia debet esse, tum eorum maxime, qui non in cunabulis, sed in campo sunt consules facti. Nulli populo Romano pro me maiores mei spoponderunt: mihi creditum est: a me petere, quod debeo, me ipsum appellare debetis. Quemadmodum, cum petebam, nulli me vobis auctores generis commendarunt, sic, siquid deliquero, nullae sunt imagines, quae me a
XXXVII vobis deprecentur. Quare modo ut vita suppetat, quam ego cum his ab istorum pergam scelere insidiisque defendere, polliceor

100. *generis mei commendarunt. — modo vita. — quam ego summis . . . ab istorum scelere.*

ne in senatu quidem ut id faciant cogi posse addit. Haec igitur Nic. Angelii coniectura improbanda est, sed illa probanda utique Ernestii, quod *posset* posuit; vitiose enim codices praebent *possit.*

100. *non in cunabulis, sed in campo* i. e. non ea sum generis nobilitate, ut mihi iam infanti destinatus sit consulatus nec comitiorum suffragiis opus sit, sed labore meo peperi consulatum ac vere in campo Martio, in quo comitia centuriata habentur, factus sum. Eandem autem rem, ut de se ipso dicat, exequitur etiam in primae orationis peroratione § 23. — *appellare* i. e. debitum reposcere; appellamus enim eos, quos quod debeant, non facere putamus, ut proprie de debitoribus, qui de pecunia credita commonentur, dicatur. Eodemque pertinent paulo post *auctores generis:* sunt ii sine dubio maiores, quibus tamen quod pro posteris quasi cavent, auctorum nomen imponitur. Cf. ad Cic. p. Mur. 2, 3. Delevimus autem pronomen. quod in reliquis praeter Lag. 9 cod. sic additur *auctores generis mei.* Ceterum illa quae sunt *si quid deliquero* — *deprecentur* in deprecandi verbo explicando citat Gell. VI, 16, 7. — *Quare modo ut vita suppetat* seq. Locus hic corruptus est in omnibus codicibus, in plerisque quidem etiam lacunosus, quem editores priores cum restituerent, de suo ingenio quaedam, quae in libris ms. non reperirentur, addere cogebantur: ex recentioribus R. Klotzius in edit. II (Lipsiae 1852) recisis superiorum additamentis modicaque mutatione adhibita (scribit enim *quam ego si possum ab istorum scelere insidiisque defendere*) non spernendam effecit sententiam, Baiterus lacunam esse intellexit. Nunc subvenit praestantissimi codicis 9 auctoritas, qui cum in aliis rebus non sit emendatior quam reliqui libri ms., quosdam etiam errores proprios habeat, eo ab omnibus discrepat, quod vocabulum, quod magnopere desiderabamus, addit. Habet enim sic: *quam ego summis ab istorum periculis scelere insidiisque defendere,* in quibus illud quod est *periculis,* ferri non posse apparet, sed latere sub eo videbatur verbum, scripsimusque *pergam,* quod cum parum perspicue in principe codice scriptum esset et ante alios ablativos legeretur et ad illud referretur quod paulo ante *summis* explicabatur, facile corrumpi potuisse videbamus.

hoc vobis, Quirites: bona fide rempublicam vigilanti homini, non timido, diligentique commisistis. Ego is consul, qui 101
contionem metuam? qui tribunos plebis pertimescam? qui saepe

vobis, Quirites, bona fide: rempublicam. — non timido, diligenti, non ignavo commisistis. — 101. *plebis perhorrescam? qui.*

Sed ipsum illud *summis* sine dubio male legebatur: nos restituimus *cum his* i. e. populo Romano, quem sibi in vita defendenda adiutorem fore significat atque in ipsa complurium pronominum coniunctione causam esse censemus, cur etiam *ego* additum sit, quod alioquin abesse malimus. Sic hunc locum si non ita ut omnibus persuadeamus, at satis commode videmur constituisse. Nam quod *modo ut* servavimus, et codicum nostrorum consensum et sententiam secuti sumus. Optantis est *modo ut*, sed cum eo, quod optatur, aliud aliquid connectentis. Cic. epist. XIV, 14, 2 *modo ut haec nobis loca tenere liceat, bellissime vel mecum vel in nostris praediis esse poteritis;* ibid. VII, 7, 1 *modo ut tibi constiterit fructus otii tui;* XVI, 12, 4 *modo ut urbe salva.* Veruntamen ne reliqua quidem huius sententiae pars difficultate quadam caret. Nam illud quod est *bona fide* (sic enim Hervagius pro eo, quod omnes codices habent *bonae fidei,* scribere coepit) utrum ad Ciceronem, qui pollicetur, an ad Quirites, qui commiserunt, pertinet? Editores quidem omnes illuc retulerunt: ex animi sententia et sine dolo malo vobis polliceor. Id nobis videtur ineptum ac prope ridiculum esse. Nam quin Cicero hoc nullo dolo malo polliceretur, quis dubitare poterat? Ac concludit hac sententia totam de consulatu suo rationem, quae inepta fit, si sic dicat: Ignobilis sum, ideo ex animi sententia de vigilantia mea polliceor. Quanto erit melius, si illud *bona fide* ad Quirites referamus, sic quidem: Ignobilis sum, ideo vos in committenda republica non fallet vestra spes, ideo polliceor me effecturum, ut vos bona fide rempublicam mihi commisisse videamini. Hoc enim esse debet *bona fide committere.* Animadverto etiam *bona fide* dici praeposito adiectivo. Nam *fidem bonam* Cicero quidem (de Ictis enim aliisque scriptoribus non disputo) appellat eam quae contraria est *dolo malo,* ut de off. III, 17, 70; Top. 17, 66; ad Att. VI, 1 med., at h. l. bonam fidem dicit quasi imprimis bene ac ratione susceptam. In exitu sententiae huius rursus lacunam codicum fuisse statuunt editores omnes: nam quasi vigilanti homini opponeretur non timidus, ita diligenti volebant opponi non ignavum, scripseruntque quod in nullo codice est *diligenti, non ignavo.* Qui eo ipso redarguuntur, quod nulla fieri potest inter vigilantem hominem et eum, qui non timidus est, oppositio: gradatio quaedam est, vigilare se ait, nihil timere, diligentem esse, consulto electis iis vocabulis, quae et curam suam de republica significent nec tamquam gloriosa possint vituperari. Ideoque dixit *non timidum;* nam si audacem dixisset, reprehenderet, si fortem, nimis laudaret, nec aliud supererat vocabulum. Cf. orat. I, 9, 27 *consulis soluti a cupiditatibus, liberi a deliciis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus.* Conficit rem cod. 9 auctoritas particulam *que* addentis.

101. *pertimescam.* Codicis 9 honori dedi, ut ita scriberem; nam reliqui habent *perhorrescam.* Cf. orat. I, 8, 25 *Cum vero scelera consiliorum vestro-*

et sine causa tumultuer? qui timeam ne mihi in carcere habitandum sit, si tribunus plebis duci iusserit? Ego cum vestris armis armatus sim insignibusque amplissimis ornatus, imperio, auctoritate, non horreo: in hunc locum progredi possum vobisque auctoribus improbitati hominum resistere, nec vereor ne respublica tantis munita praesidiis ab istis vinci aut opprimi possit. Si antea timuissem, tamen hac contione, hoc populo certe non vererer. Quis enim unquam tam secunda contione legem agrariam suasit quam ego dissuasi? si hoc dissuadere est
102 ac non disturbare atque pervertere. Ex quo intelligi, Quirites, potest nihil esse tam populare, quam id, quod ego vobis in hunc annum consul popularis affero, pacem, tranquillitatem, otium.

Ego enim vestris. — armatus insignibusque amplissimis exornatus. — non horreo in hunc locum. — progredi vobisque. — improbitati hominis.

rum — ostendero, pertimescam, credo. Tumultuari est clamare, deorum hominumque fidem implorare. Paulo post cum omnes nostri codices scribant *iussisset,* unus liber ms., quod temporum consecutio postulat, *iusserit* exhibet idque praeferre coeperunt recentiores editores. — *Ego cum vestris* seq. In hoc loco constituendo cum saepe ab veteribus editoribus, qui varie codicum lectionem corruperunt, discedamus, ne cum recentioribus quidem consentimus. Nam primum codicis 9 virtutem secuti scripsimus *cum armatus sim* (nam ille *armatus sim signisque,* reliqui *armatus insignibusque* habent, ut et ipsius errorem et reliquorum confusionem ex earundem litterarum, quae bis repeti deberent, omissione ortam esse constet), tum omnes libri ms. scribunt *progredi posse*, editoresque alteram hoc *posse* omiserunt, ne sententia quidem satis probabili. Nam arma, quae populus Romanus praebet, insigniaque consulatus parum afferunt, ut fortius in rostra progrediatur nec tam id agitur, ut fortiter in contionem se prodire dicat, quam ut omnino nihil se timere significet. Quare eum, quem saepissime in nostris codicibus deprehendimus, errorem accidisse arbitramur, ut terminatio corrumperetur, emendamusque *progredi possum*, hac sententia ab ea, quae antecedit, dirempta. Cum consul sim, inquit, nihil timeo; licet enim ad vos prodire improbisque resistere. Ac nonnunquam Cicero *horrere* quasi absolute nullo obiecto addito dicit, velut ad Att. II, 21, 1 *dominatio nunc repente tanto in odio est omnibus, ut quorsus eruptura sit, horreamus;* p. dom. 55, 140 *horrere animo;* Phil. VII, 3, 8 *quemadmodum accepturi sitis horreo.* Quod autem in terminatione corrumpenda vitium modo notavimus, idem paulo post invenimus, ubi codices habent *hominis,* nos *hominum* scripsimus. Neque enim usquam per hunc locum unum P. Rullum (nam ad eum pertineret *homo*) nominat, semper cum eo aliorum tribunorum auctorumque legis agrariae mentionem coniungit, velut deinceps ait *ab istis vinci — possit.*

102. *consul popularis.* Cf. quae supra § 7 exposuit. — *sed etiam istos* seq. Hunc locum vitiose in codicibus scriptum quam sententiam habere opor-

Quae nobis designatis timebatis, ea ne accidere possent consilio meo ac ratione provisa sunt. Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueratis, sed etiam istos, quibus odio est otium, quietissimos et otiosissimos reddam. Etenim illis honores, potestates, divitiae ex tumultu atque ex dissensionibus civium comparari solent: vos, quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus, honos in iudiciis et aequitate magistratuum, res familiaris in pace, omni ratione otium tenere debetis. Nam si hi, qui propter 103
desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt vo-

102. *volueratis, verum etiam.* — *otium, aeque otiosos reddam.* — *otium retinere.* — 103. *si ii qui.*

teret, intellexit Nic. Madvig. in Philologo Schneidewin. II p. 142 idemque pro eo, quod in libris ms. est *fecissemus*, emendavit *quietissimos;* nos particulam *et* anteposuimus, quam in libris ms. melioribus prima insequentis vocabuli syllaba haustam, in deterioribus eo, quod *atque* est, significari arbitror. Quod Madvigius reliquerat, supplevit Ussing., ut pro eo, quod codices praebent *otiosi otium*, praeclare coniiceret *odio est otium*. Ut haec recentiorum interpretum ingenio restituta sunt, ita quae deinceps sequuntur, iam veteres emendarunt. Nam pro eo quod nos habemus *honos* ex Beroaldi coniectura, codices ms. praebent *hos*, sed *honorem* recte legi ostendit, quod paulo ante est *honores*. Tum *magistratuum*, *res familiaris*, cum libri ms. inepte habeant *magnos timores familiares*, primus praeclare scripsit Iuntinus editor vel, cum ille *magistratus* emendasset, Lauredanus. Sententia ipsa huius loci est aperta: haec tamen duo animadvertimus, primum *consistendi* verbum, in quo hoc est, civium, ad quos Cicero dicit, gratiam non ultra suffragia procedere, totam in suffragiis esse positam, quibus cum Rullus suffragia adimere vellet (cf. § 17 sq.), maximum damnum intulit, tum *otium tenere*, pro quo ne quis retinendi verbum aut requirat aut probet, facit *tenueritis* illud, quod paulo post huc spectans repetit. Ac saepius ita Cicero dicit, velut *consuetudinem* (Phil. I, 11, 27), *morem* (de off. III, 7, 44; p. Flacc. 7, 15), *auctoritatem et imperium* (Cat. mai. 11, 37), *institutum* (in Verr. IV, 21, 46), in quibus tamen omnibus non minus retinere dici licebat. Verum hac maxime re insignis est hic locus, quod quo genere vitiorum codices nostri laborent et qua ratione emendandi sint, multis exemplis ostendit.

103. Nullus locus in his orationibus est mendosior hac extrema huius orationis parte adeoque aequaliter in omnibus codicibus ms. corruptus, ut omnes, qui extant, ab uno principe ductos esse hinc vel maxime appareat. Ipsum autem vitiorum genus eiusmodi est, quod non ex negligentia eorum, qui describerent, sed exempli, quod describeretur, evanida atque obscura lectione natum esse videatur. Nulla igitur lacuna est, nihil fere interpretandi causa additum, sed litterae confusae, vocabula male dirempta vel coniuncta, terminationum notae perperam intellectae: quas difficultates auxit librariorum, dum in probabili diligentia tamen aliquam certe singularum vocum sententiam quaerunt, infelix industria. Editores demum plus ausi sunt, sed cum

luptatem ab ipso otio, quam vos fortunati eritis in hoc statu, quem habetis, si non ignavia quaesitum, sed virtute partum otium tenueritis. Quod ego cum concordia, quam mihi constitui cum collega, invitissimis his hominibus, quos nobis in consulatu inimicos esse et cupiditatibus proripi omnibus perspexi, pararim, revocarim idem tribunos plebis, ne quid turbulentum me con-

voluptatem ex ipso. — eritis, si hunc statum quem habetis, non ignavia. — partum tenueritis. — Quod ego ea concordia. — iis hominibus, qui nos in consulatu inimicissimos fore actibus providi omnibus perspexi sane revocavi. Idem tribunis plebis denuntiavi, ne quid turbulenti.

librorum ms. naturam ignorarent, varie errarunt addendo imprimis ea, quae non litterarum confusione hausta restitui, sed quasi lacunae fuissent, prorsus ex ingenio suppleri viderentur. Quare nuper cum viri docti ad codices reverti coepissent, expulsis editorum additamentis ulcerosam ubique ac sententia insta carentem reliquerunt orationem. Nos quidem, cum utique quod legi atque intelligi posset, efficere cuperemus, difficillimum habuimus munus, cuius si omnes partes non indicabimur explesse, at quosdam errores certissime sustulimus totiusque loci sententiae ita consuluimus, ut suum codicibus honorem haberemus. Adiumento quidem nobis fuit una Nic. Madvigii in Philologo l. l. coniectura: qui initium horum verborum cum recte intelligeret, praeclare scripsit *quam vos fortunati eritis* (codices *quo vos fortunam regitis*) et *non ignavia quaesitum, sed virtute partum* (codices *non ignoravi non quaesitum, sed vita partum*). Quibus nos cum addiderimus *ab ipso otio* (codices *sub ipso otio*) et *in hoc statu quem habetis si* (codices *si hunc statum quem habetis esse*), ferri iam posse videntur haec verba. Repetit enim Cicero, quod supra § 9 dixit *ut et vos et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, praesertim in imperio ac dignitate:* fortunatos fore Romanos, si in eo imperio ac dignitate, quam habeant (hunc enim appellat *statum*), otium tenuerint. Cf. in Cat. II, 4, 7 *O fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam urbis eiecerit.* Quamquam his longe difficiliora esse existimo, quae in exitu orationis sunt, in quo non tantum ea, quae reliqui interpretes, vulnera animadverto, verum etiam miram dicendi inconcinnitatem atque inelegantiam deprehendo, quam nunquam apud Ciceronem, nedum in ipsa peroratione, quae diligentissime elaborata esse solet, ferendam esse censeo. Quare cum connectendae orationis rationem quaererem, unam illam coniunctionis sedem esse posse intellexi, ubi omnes codices *ego et concordia* exhibent. Facile ibi emendatur, ut sit *ego ea concordia*, sed non multo difficilius *cum*, ut sit *quod ego cum concordia*, apodosisque locum illa *summum et firmissimum est illud communibus fortunis praesidium* obtineant. Reliqua est extrema sententia, ab cuius initio particulam *vero* excidisse ipsa codicum quaedam discrepantia videtur significare. Ad haec primum coniunctivos effecimus, qui ad coniunctionem *cum* pertineant, ac facillima erat mutatio, ut scriberetur *revocarim idem* (non *revocavi iidem*), paulo maior, ut ex eo quod cod. habent *sane*, fieret *pararim*, deinde pro iis quae absurde

sule conflarent: summum et firmissimum est illud communibus fortunis praesidium, Quirites, ut, quales vos hodierna die maxima contione mihi pro salute vestra praebuistis, tales reliquis temporibus reipublicae praebeatis. Pro certo vero polliceor hoc vobis atque confirmo me esse perfecturum, ut iam tandem illi, qui honori inviderunt meo, tamen vos universos in consule deligendo plurimum vidisse fateantur.

hodierno. — certo polliceor.

traduntur *corporis actibus providi*, coniecimus *cupiditatibus proripi*, denique parva illa, *nobis* (non *vos*) et *perspexi* (non *prospexi*) et *ne quid* (non *quid* vel *quod*) addidimus, expulimus etiam verbum *denuntiavi*, quod meliores cod. ignorant *tribunos*que ambiguum codicum signum interpretati sumus. Ita nullum vocabulum, nisi cuius probabilia vestigia supersint, adiecimus, eos codicum errores, quos saepissime accidisse certum est, in hoc loco reperiri statuimus, eam denique sententiam, in qua acquiesci possit, effecimus. Ceteros quidem editores cum non minus multa, quam nos mutavimus, mutanda esse intellegerent, nihil tamen, quod ferri posse ipsi crederent, nedum aliis persuaderent, videmus protulisse. Illam autem veterem accepimus Nic. Angelii emendationem, quod *reliquis temporibus reipublicae* scripsit (nam quod codices habent *reliquis temporibus populo Romano* nec ferri posse et per notas facile corruptum esse constat, cf. annot. crit. ad I, 19), non recepimus, quod idem *hodiernum diem* appellavit. Omnes enim codices hoc quidem loco *hodiernam diem* tuentur, incertumque videtur esse, an aliquando ita dixerit Cicero, velut in Catilinariis orationibus, huic tempore fere paribus, II, 3, 6 *hesterno die*, III, 8, 20 *hodiernum diem* an *hesterna* et *hodiernam* scribendum sit, codicum quidem auctoritas dubium relinquit nec, quae non necesse esset, nostro ingenio mutare placuit.

ORATIO

AD POPULUM HABITA ALTERA.

Commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si quae apud vos de me deferunt, ea coram potius me praesente dixissent. Nam et aequitatem nostrae disceptationis et consuetudinem superiorum et ius suae potestatis retinuissent. Sed quoniam adhuc

1. *aequitatem vestrae disceptationis.*

1. *coram — me praesente.* Cum superiorem contra legem agrariam orationem haberet, Cicero P. Rullum amicosque eius admonuerat, ut, si quid contra essent dicturi, id in contione proferrent ac coram pop. Romano secum disputarent. Quod etsi in una tantum re, quae ad agrum Campanum pertinebat, commemoravit 28, 78: *veniat et coram mecum de agri Campani divisione disputet*, non minus tamen de aliis valebat, repetitque in huius orationis exitu § 16. Sed non occurrerunt tribuni in illam Ciceronis contionem potiusque paulo post suam peculiarem habuerunt, in qua multa contra Ciceronem accusandi causa dicerent; hoc enim valet *deferre*, quod proprie est accusantium, criminaque apud iudicem indicantium. Hoc eorum consilium Cicero h. l. vituperans iterum admonet, ut, cum tunc provocati ad contentionem coram populo instituendam venire noluerint, nunc saltem, postquam invicem lacessiverunt, in suam contionem descendant. *Provocare* enim lacessentis est, provocatorem vicissim lacessentis *revocare*, et qui lacessitus contentionem suscipit, in contentionem *venit*, qui postquam fugit contentionem, tandem admonitus suscipit, in eam *revertitur*. Ex tribus autem commodis, quae praesentem de lege agraria contentionem habere ait, primum olim solebat hoc poni, quod tribuni ita *aequitatem vestrae disceptationis* retinerent: in quo parum commoda sententia est. Nam *aequitatem vestrae disceptationis retinere* hoc tantum, quod Lauredanus volebat, potest significare aequitatem populi disceptantis retinere, populum aequiorem iudicem obtinere. Sed neque quomodo hac ratione aequitas ac benignitas populi retineatur intelligo, nec Cicero iniquum fieri populum adversus tribunos aegre ferre debebat. Quanto

praesens certamen contentionemque fugerunt, nunc, si videtur, in meam contionem prodeant et, quo provocati a me venire noluerunt, revocati saltem revertantur. Video quosdam, Quirites, 2
strepitu significare nescio quid et non eosdem vultus, quos proxima mea contione praebuerunt, in hanc contionem mihi retulisse. Quare a vobis, qui nihil de me credidistis, ut eam voluntatem, quam semper habuistis erga me, retineatis, peto: a vobis autem, quos leviter immutatos esse sentio, parvam exigui temporis usuram bonae de me opinionis postulo, ut eam, si quae dixero vobis probaro, perpetuo retineatis: sin aliter, hoc ipso in loco depositam atque abiectam relinquatis. Completi sunt animi 3
auresque vestrae, Quirites, me gratificantem septem tyrannis ceterisque Sullanarum assignationum possessoribus agrariae legi et commodo vestro obsistere. Hoc si qui crediderunt, illud prius

videtur eis, in. — 2. *probabo.* — 3. *commodis vestris.*

igitur melius est, quod codex noster optimus babet *aequitatem nostrae disceptationis*, i. e., si et Cicero et tribuni in contione adsint, aequam fore contentionem, ex aequo eos disceptatnros. Cf. ad orat. I, 7, 23. — *si videtur.* Corrumpunt sententiam reliqui codices pronomen *eis* addentes. Ridiculum enim prope est Ciceronem, dnm vehementer tribnnos ut in contionem veniant admonet, addere *si videtur eis.* At absente illo pronomine *si videtur* pertinebit ad popnlum, cnius benignitatem, nt suam cum tribunis disceptationem audire vellet, rectissime Cicero requirebat. Animadvertamns autem h. l. appellari *meam,* i. e. Ciceronis, *contionem;* ea enim cuinsqne est contio, quam quisque convocavit, cui quisque praeest. At infra § 16 *vestra contio* aliter dicitur.

2. *proxima mea contione*, i. e. ea, qnam ante de lege agraria apud populnm babuerat, oratione, in qna 37, 102 sic ait: *Si antea timuissem, tamen hac contione, hoc populo certe non vererer. Quis enim unquam tam secunda contione legem agrariam suasit quam ego dissuasi?* — *nihil de me credidistis* tribunis plebis me criminantibus. Paulo post pro eo quod adhnc edebatur ex codicum auctoritate *probabo*, Ernestius coniiciebat *probaro*, quod etsi non videtur esse necessarinm (cur enim non probationem ei, quod dicturns est, successuram esse significet?), cum tamen iu optimo codicum nostrorum reperiatur, recipere nou dubitavimus.

3. *septem tyrannis.* Facete ita a plebe appellabantur septem civitatis principes, qui Sullanae dominationis tempore vel ab ipso dictatore agrum publicnm dono acceperant vel agrum aliis divisum coemerant (cf. orat. II, 28, 78 et infra § 14). In eorum numero fuisse probabile est L. et M. Lucnllos, qui Snllam strenne adiuverant, et M. Crassum, quem illis temporibus ad divitias colligendas usnm esse constat; sed quos praeterea Turnebus nominat, Metellnm, Hortensium, Philippum, Catulum, de coniectura nominat prorsus incerta. Paulo post codicem Lag. 9 secuti edidimus *commodo vestro*; nam quod reliqui

crediderint necesse est, hac lege agraria, quae promulgata sit, adimi Sullanos agros vobisque dividi aut denique minui privatorum possessiones, ut in eas vos deducamini. Si ostendo non modo non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris, sed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentissime confirmari atque sanciri: si doceo agris iis, qui a Sulla sunt dati, sic diligenter Rullum sua lege consulere, ut facile appareat eam legem non a vestrorum commodorum patrono, sed a Valgii genero esse conscriptam: numquid est causae, quin illa criminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram diligentiam prudentiamque despexerit?

II, 4 Caput est legis quadragesimum, de quo ego consulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem, ne aut refricare ob-

promulgata est, adimi.

codices habent *commodis vestris*, ex eo, quod infra legitur *a vestrorum commodorum patrono*, videtur extitisse. Cuius tamen loci diversa est ratio. Illic pluralis significat tribunum omnes plebis rationes defendere debere, hic unum commodorum genus, quod in agris accipiendis situm est, significatur. — *promulgata sit.* Inutilis est R. Klotzii coniectura *promulgata est* scribentis; quidni enim relativam sententiam ut aubiunctam infinitivo pronuntiet? Quamquam ferri potest etiam indicativus. — *certo capite legis.* Non satis erat Rullo Sullanos agros eo, quod proprie ad aliam rem pertineret, capite confirmare, sed peculiare ad eam rem caput legis, nimirum ipsum quadragesimum, de quo dicturus est, adiecit. *Impudentia* autem confirmandi eo refertur, quod meliore adeo iure agri Sullani esse iubebantur quam erant reliqui agri privati. Cf. infra § 8. — *Valgi.* Ignotus homo est ipsumque eius nomen incertum. Nam codices omnes habent *Vulgi*, quod nomen ignotum est. Emendavit Iuntinus editor. Quantopere autem Cicero hominem despexerit, vel hinc videmus, quod ne praenomen quidem adiecit. — *quin — despexerit* i. e. quin despexisse videatur. Negligentia quaedam dicendi est, cuius similia nonnulla exempla collegit Madvig. ad Cic. de fin. I, 5, 14. Ad ea quae sunt *vestram diligentiam prudentiamque* cf. orat. II, 10, 25: *Viderunt et vident, si per imprudentiam vestram, neglígentiam meam legem incognitam acceperitis.*

4. *de quo ego* cet. Minus vere de hoc loco videtur iudicasse Nic. Madvig. in excursu ad Cic. de fin. II, 8, 25 p. 818, etsi hoc recte intellexit errare eos, si qui illud quod est *neque apud vos* explicarent *ne apud vos quidem*. Est autem oratio, ut nunc quidem legitur, bipertita efficiturque duplex partitio particulis *neque — neque vero*, quas, ubi orationis pondus in alteram partem inclinet, nonnunquam adhiberi docuit Madvig. Opusc. Acad. I p. 406. Sed haec partitio dupliciter perturbata est. Primum enim antequam instituitur, collocatur *consulto*, quod ita ex consueto more dicendi non modo ad priorem, sed etiam ad alteram partem referri oportebit. Verum ad illam

ductam iam reipublicae cicatricem viderer aut aliquid alienissimo tempore novae dissensionis commovere, neque vero nunc ideo disputabo, quod hunc statum reipublicae non magnopere defendendum putem, praesertim qui otii et concordiae patronum me in hunc annum reipublicae confessus sim, sed ut doceam Rullum posthac in iis saltem tacere rebus, in quibus de se et de suis factis taceri velit. Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla

4. *magno opere.* — *professus sim.*

tantum priorem pertinere apparet, nam in altera repetitur *ideo.* Quamquam hoc videtur esse levius excusaturque eo, quod quam rationem in disputando non sit secuturus, addit. Verum illud est gravius, quod intra prius membrum collocavit *apud vos.* Quasi vero quae nunc dicturus est, non sit apud populum disputaturus. Apparet igitur priori membro cogitari oppositum, quod non apud populum tacuerit, i. e., opinor, in senatu, in quo cum primam contra legem agrariam orationem haberet, non magis Sullanos agros commemoravit. Iam facile recta orationis ratio potest restitui, si post illa quae sunt *neque apud vos* librariorum culpa excidisse putemus *neque in senatu.* Sic nihil quod vituperetur supererit. Sed difficile est factu, ut hunc in codicibus errorem accidisse statuamus, cuius similem in his orationibus non animadverti. Potius igitur anacoluthon quoddam statuemus, quamvis in orationibus magna arte elaboratis rarum. Volebat Cicero scribere *de quo ego consulto neque apud vos ante feci mentionem neque in senatu commemoravi*, sed cum priori membro causas tacendi duas adiecisset, obscurata quasi prioris membri memoria alterum omisit, praesertim quo ad reliquam orationem minus opus esse videret. — *reipublicae cicatricem.* Vulnera illa intelligit, quae L. Sulla hominibus proscribendis agrisque publicandis reipublicae intulerat, quae quia tempore ex sensu civitatis evanuerant, renovari omnino nolebat. Altera causa est, quod *alienissimum* sit tempus, nimirum quod L. Catilina eiusque socii instabant, qui tantam dissensionem efficiebant, ut novam adiici esset inutilissimum. — *hunc statum*, eum, quem Sulla suis legibus constituerat, cuius patronum apud populum se profiteri non veretur. — *in hunc annum reipublicae confessus sim.* Evertebat sententiam P. Manutius, cum contra codicum consensum emendaret *professus sim.* Est enim in confitendo h. l. acerba quaedam simulatio, quam perire nolim, ut de eo, in quo alii gloriari posse videantur, confessum se esse dicat. Nec, si Caes. bell. civ. I, 84 *se victos confiteri* dixit, infinitivum omissum esse aegre feremus. Multo autem etiam minus probo Lauredanum, qui *in hunc annum populo Romano* scripsit. Nam *annus reipublicae* dicitur annus reipublicae gerendae, ut orat. II, 4, 9 ait: *dixi in senatu in hoc magistratu me popularem consulem futurum.* Ac necesse est illud quod est *in hoc magistratu* addatur; nam aliter ridiculum videatur esse, si in unum annum otii patronum se futurum esse dicat.

5. *L. Flaccus interrex.* Cum anno 82 a. Chr. victis adversariorum partibus L. Sulla tota republica potitus esset, interregem ab senatu creari iussit

tulit, ut omnia, quaecunque ille fecisset, essent rata. Nam cum ceteris in civitatibus, tyrannis institutis, leges omnes extinguantur atque tollantur, hic reipublicae tyrannum lege constituit. Est invidiosa lex, sicuti dixi: veruntamen habet excusationem. Non 6 enim videtur hominis lex esse, sed temporis. Quid, si est haec multo impudentior? Nam Valeria lege Corneliisque legibus eripitur, cum datur, coniungitur impudens gratificatio cum acerba iniuria: sed tamen habet illis legibus spem nonnullam, cui ademptum est, aliquem scrupulum, cui datum est. Rulli cautio est

6. *eripitur cui datur.*

creatusque est L. Valerius Flaccus. Is legem tulit, ut in incertum tempus L. Sulla dictator diceretur, dum rempublicam constituisset: cui dictatori singillatim permittebatur summa potestas occidendi, publicandi, coloniarum deducendarum, oppidorum et condendorum et delendorum, regnorum adimendorum et dandorum, denique quicquid e republica esse censeret faciendi. Sequebatur, ut quicquid Sulla edixisset, id ex lege Valeria valeret, si quid praeterea ad populum ferret, id ex lege Cornelia ratum esset, ac videtur Sulla de gravioribus rebus populum consuluisse. Quare cum utraque ratione Sulla potentissimus esset, fiebat, ut Valeria Corneliaeque leges parum discernerentur ac fere coniunctim commemorarentur. Vide quae in comment. epigraph. I p. 246 exposuimus. Quae antem sequuntur *ut omnia — essent rata* cave ipsa legis verba esse existimes, sed comprehendit Cicero paucis verbis sententiam legis Valeriae.

6. *eripitur cum datur.* Totus hic locus vitiosior est in codicibus omnibus, contra quorum consensum Aldinus editor scripsit *cum datur* (nam cod. habent *cui datur*), Hervagius *habet* (nam illi male repetita antecedentis vocabuli extrema syllaba praebent *inhibet*), Puteanus *ademptum* et *datum*, cum illic sit *ademptus* et *datus*. Nec tamen de necessitate duorum priorum locorum emendandorum fere editores dubitarunt, tertio multi masculinum relinquebant, quia agrum, ut opinor, intelligebant. Quem ut recte existiment posse intelligi, magnopere vereor. Nam nec antea ullam fecit agri aut agrorum mentionem, aut postea facit in iis quidem, quae proxime insequuntur. Duabus autem in rebus legem Serviliam Cicero ait impudentiorem esse quam Cornelias. Primum enim hae quos dividebant agros publicos, non omnes sumebant ex aerario aut omnino ex iis, qui publici populi Romani erant, sed conficiebant ex proscriptorum bonis, Servilia lex, cum omnes assignationes ac possessiones confirmaret, quicquid largiebatur, ex publico eripiebat: quare illarum legum in republica diripienda longe minor erat impudentia quam huius. Deinde Corneliae leges, cum plurimum agri publici reliquissent, iis, quibus sua erepta erant, spem relinquebant, foro, ut aliquando ex hoc, qui publicus erat, agro, quae amisissent, reciperent: at Servilia lex cum omnes in Italia agros publicos venderet, iis, quibus sua eripiebat, velut possessoribus Campanis, de quibus cf. orat. II, 30, 83, nihil spei relinquebat. Nec L. Sulla

haec: *qui post C. Marium Cn. Carbonem consules.* Quam procul a suspicione fugit, quod eos consules, qui adversarii Sullae maxime fuerunt, potissimum nominavit? Si enim Sullam dictatorem nominasset, perspicuum fore et invidiosum arbitratus est. Sed quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit, cui post eos consules Sullam dictatorem fuisse in mentem venire non posset? Quid ergo ait Marianus tribunus plebis, qui nos Sullanos in in- 7
vidiam rapit? *Qui post Marium et Carbonem consules agri,*

Cn. Papirium consules. — quem nostrum:

agros ita diviserat, ut privati fiereut, sed veuire vetuerat (orat. II, 28, 78), unde fiebat, ut maxima pars agrorum Sullanorum iucerti iuris esset ac rectissime a republica posset repeti: quem scrupulum possessoribus Sullanis lex Servilia, quae optimo iure privatos esse eos agros iuberet, totum adimebat. Quare hoc quoque loco quanto impudentior Rullus fuerit apparet. Commemoravi haec interpretum causa, qui Sullanos homines metuisse dicunt, ne acta Sullae rescinderentur in eaque re sitam fuisse spem proscriptorum. Quae spes et scrupulus si erant in Corneliis legibus, non minus sunt in omnibus omnino legibus; nam illae non minus iure rogatae erant, quam ullae quae unquam latae sunt. — *qui.* Sic scribi et codicum auctoritas et veterum legum ratio iubet. In quibus cum res diversorum generum enumerantur, pronomen, si ad diversa genera accommodatum sit, semel utique ponitur, ut in tab. Heracl. c. 4 *quae loca publica porticusve publicae*, c. 8 et 11 *quae municipia coloniae praefecturae fora*; sin ratio grammatica diversas pronominum formas postulet, vel suo quaeque res pronomine ornatur, ut in plebisc. de Thermensibus *qui agri quae loca aedificia*, leg. Thor. c. 42 *quae vectigalia quas decumas quasve scripturas*, vel pronomen ei, quod primum ponitur, accommodatur, ad reliqua intellegitur, ut in leg. Thor. c. 2 *quem agrum locum aedificium*, saepius *qui ager locus aedificium*, c. 47 *qui agri loci possessionesque.* Hoc autem loco quia inter pronomen et substantivum nonnulla verba interiecta sunt, altera haec ratio etiam magis commendatur. Nominavimus autem consules (sunt autem anni 82 a. Chr.) *C. Marium Cn. Carbonem*, quod ita optimus codex noster habet. Ac videtur haec appellandi consuetudo fuisse in his quidem consulibus; nam et Cicero ipse ter in hac oratione ita appellat et Vellei. Pat. II, 26 et 27; Plin. nat. hist. VII, 48 et 49; Val. Max. VII, 6, 4. Quare quod reliqui cod. habent *C. Marium Cn. Papirium* contra consuetudinem videtur esse atque ab librario natum, qui scientiam suam ostentare cuperet. Paulo post ubi est *vestrum*, omnium prope nostrorum codicum fidem secuti sumus; nam se ipsum dudum ait fraudem legis intellexisse atque id agit, ut quemvis de multitudine idem intelligere debere dicat.

7. *qui post Marium* cet. Videntur haec ipsius legis esse verba, quae Cicero, ut Rulli fraudem ostendat, affert. Verum non omnia affert, sed ea

aedificia, lacus, stagna, loca, possessiones (coelum et mare praetermisit, cetera complexus est) *publice data, assignata, vendita, concessa sunt.* A quo, Rulle? Post Marium et Carbonem consules quis assignavit? quis dedit? quis concessit praeter Sullam? *ea omnia eo iure sint.* Quo iure? Labefactat videlicet nescio quid: nimium acer, nimium vehemens tribunus plebis Sullana rescindit. *Ut quae optimo iure privata sunt.* Etiamne meliore quam
8 paterna et avita? Meliore. At hoc Valeria lex non dicit, Corneliae leges non sanciunt, Sulla ipse non postulat. Si isti agri partem aliquam iuris, aliquam similitudinem propriae possessionis, aliquam spem diuturnitatis attingunt, nemo est tam impudens istorum, quin agi secum praeclare arbitretur. Tu vero, Rulle, quid quaeris? Quod habent ut habeant? Quis vetat? Ut privatum? Sed ita latum est, ut melior tui soceri fundus Hir-

8. *Ut privatum sit? ita latum.*

tantum, in quibus fraus inest. Nam etsi prima illa quae sunt *agri aedificia lacus, stagna, loca, possessiones* integra ex lege sumpta esse censeo (ipse enim Cicero nihil praetermissum esse ait), in reliquis tamen plurima habuisse legem ostendit § 11. Fuit igitur ibi sic: *data assignata, donata concessa, vendita possessa,* quae Cicero, quia dupliciter erant vituperanda, per duos locos distribuit. — *ut quae sunt.* Optime codex noster 9 habet indicativum, cum reliqui coniunctivum *sint* scribant. Sed quod Lambinus coniiciebat *quo quae optimo iure privata sunt*, non opus est. Quia enim *eo iure* idem fere est quod *eodem iure*, quemadmodum huic *ut* saepe respondet, item illi videtur posse respondere. Similiterque paulo ante omnium librorum mss. nostrorum lectionem *Sullana rescindit* tueor, quamvis facile sit emendare *Sullanas res rescindit*, cf. § 13. Nam si Sullanae res pro iis quae ab Sulla acta sunt appellari possunt, cur non item appellentur Sullana? Versatur autem h. l. omnis Ciceronis reprehensio in verbis illis *optimo iure* exagitandis, quae quin Rullus quidem eo tantum pertinere voluerit, ut confirmaret Sullanas assignationes easque privatis agris exaequaret, vix dubium esse potest; nec tamen minus dubitari debet, quin malitiosa interpretatio iis abuti potuerit.

8. *attingunt.* Notandum est hoc verbum, quo Sullanorum agrorum condicionem parum ab iniuria discrepantem significat, similiter ac de leg. II, 5, 13 ait: *multa pestifere sciscuntur in populis, quae legis nomen non attingunt*, i. e. quae non accedunt eo, ut leges nominari debeant. Paulo post *impudens* natum est Naugerii coniectura et facili et necessaria; nam codices habent *imprudens*. — *Ut privatum? Sed ita latum est* cet. Nihil esse censeo, cur haec codicum lectio mutetur. Bis enim Cicero quasi interrogat Rullum, bis sibi ipse respondet. *Quod habent, ut habeant?* i. e. ut retineant eo quo ab Sulla acceperunt iure. Nemo vetat eos retinere. *Ut*, quod habent, *privatum* habeant? Hoc quoque ferrem, sed ita tulisti, ut Sullanis agris praecipuum

pinus sit sive ager Hirpinus (totum enim possidet) quam meus
paternus avitusque fundus Arpinas. Id enim caves. Optimo enim 9
iure ea sunt profecto praedia, quae optima condicione sunt. Libera
meliore iure sunt quam serva: capite hoc omnia, quae serviebant,
non servient. Soluta meliore in causa sunt quam obligata: eodem
capite subsignata omnia, si modo Sullana sunt, liberantur. Immunia meliore condicione sunt quam illa, quae pensitant. Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia mancipio fundum accepi: si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem.

Video vos, Quirites, sicuti res ipsa cogat, commoveri vel le- 10, III
gis vel orationis impudentia: legis, quae ius melius Sullanis praediis constituat quam paternis, orationis, quae eiusmodi causa in-

Irpinus. — 9. *Immunia commodiore condicione.* — 10. *cogit.*

ins dares. Wesenbergius quidem ad orat. p. Sestio p. 47 quid hoc loco vituperet, non intelligo; Lauredani coniectura *At ita latum est*, ferri certe potest, sed inutilis videtur esse. De Hirpino autem agro Cornelia lege diviso imprimisque de Compsa, colonia Sullana, dixi in comment. epigraph. I p. 257.

9. *Libera meliore iure sunt* cet. Tria affert, quibus optimum ius sive, ut interpretatur, optima condicio praedii contineatur, primum ut sit *liberum*, i. e. ut nemo alienus quicquam in ulla eius parte iuris habeat, ut *solutum*, i. e. ut dominus id vendere, relinquere, denique eo quacunque velit ratione uti possit, ut *immune*, i. e. ut nihil cuiquam ex eo debeatur. Iis opponuntur *serva, obligata, quae pensitant;* genus autem obligationis est *subsignatio*, si cui praedium pignori opponas. Quod autem ut praedii pensitantis exemplum affert Cicero Tusculanum suum, Plin. nat. hist. XXII, 12 eum id narrat ab ipsius L. Sullae heredibus emisse, unde eo insignius fit exemplum. Quare verum est, quod codices omnes cum levi in dirimendis vocabulis errore scribunt *quia mancipio fundum accepi*, emptione comparavi. De *aqua Crabra* (sic enim P. Manutius quod in codicibus *Crebra* est emendavit), qua omnes agri Tusculani villae irrigabantur, cf. Frontin. de aquaed. 9: habuerat de ea saepius Cicero cum municipibus Tusculanis negotia (epist. XVI, 18, 2; p. Balb. 20, 45). Scripsimus autem ex optimi codicis fide, quod olim Naugerius coniectura invenerat, *obligata*, cum reliqui libri ms. negationem praemittant, tum *subsignata*, pro quo deteriorum codicum librarii, ne ab eo, quod paulo ante erat, discederent, maluerant *obligata*, denique *meliore condicione;* nam sic ubique *optimum ius* et *optima condicio* dicitur ac dici debet, quia de Serviliae legis interpretatione agitur.

10. *cogat.* Sic codices omnes exhibent, a quibus non discedimus. Ait enim commoveri populum iis quibus necesse sit affectibus, sententiamque ipsam mutarunt, qui indicativum scripserunt. Item paulo post, ubi est *eiusmodi causa*, i. e. cum causa sit eiusmodi, codices sequimur. Si enim orat. I,

simulare quemquam audeat rationes Sullae nimium vehementer defendere. At si illa solum sanciret, quae a Sulla essent data, tacerem, modo ipse se Sullanum esse confiteretur. Sed non modo illis cavet, verum etiam aliud quoddam genus donationis inducit, et is, qui a me Sullanas possessiones defendi criminatur, non eas solum sancit, verum ipse novas assignationes instituit et re-
11 pentinus Sulla nobis exoritur. Nam attendite quantas concessiones agrorum hic noster obiurgator uno verbo facere conetur: *quae data, donata, concessa, vendita.* Patior: audiò. Quid deinde? *possessa.* Hoc tribunus plebis promulgare ausus est, ut quod quisque post Marium et Carbonem consules possidet, id eo iure teneret, quo quod optimo privatum? Etiamne, si vi eiecit? etiamne, si clam, si precario venit in possessionem? Ergo hac lege ius
12 civile, causae possessionum, praetorum interdicta tollentur. Non mediocris res neque parvum sub hoc verbo furtum, Quirites, latet. Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati nec cuiquam assignati neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime

Ac si. — 11. *consules possideret.* — *privatum est.* — *vi deiecit.*

8, 24 est *hoc metu atque hac perturbatione animorum*, i. e. cum hic metus sit, ac saepe similes ablativi cum pronominibus vel adiectivis coniuncti reperiuntur (cf. Wunder ad Cic. p. Planc. 6, 15), cur non *eiusmodi* sit tamquam pro adiectivo? Itaque inutilis est Baiteri emendatio *eiusmodi in causa.* Nec minus codicum auctoritatem retineo infra, ubi est *At si illa solum sanciret — tacerem,* quamvis ex deterioribus libris ms. unus habeat *Ac si illa — tacerem.* Sic enim ratiocinatur: video vos irasci homini, at tacerem, si non maiorem etiam iram meruisset. Admodum in his ipsis parvis rebus, in quibus utrimque non magnum momentum esse videatur, cavendum est, ne dum cupide, quod librariorum libido vel editorum minus diligens interpretatio excogitavit admittimus, orationis Tullianae proprietatem evertamus. — *repentinus Sulla nobis exoritur.* Cf. Phil. XIV, 5, 14 *An ego qui Catilinam haec molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse existerem repente Catilina?*

11. *tribunus plebis.* Etenim tribuni plebis, quorum ipsa potestas a Sulla imminuta erat, fere eius actis adversabantur; nemo certe eo progredi poterat, ut quae ne ille quidem ut privata concedere voluisset confirmaret. Paulo post vitiosi sunt codices, cum *quod optimo privatum* habeant, sed recte Lambinum emendasse censeo *quo quod optimo privatum;* nam saepe imprimis in pronomine relativo codices harum orationum peccant. Supple *tenetur.* Sed non secuti sumus Lambinum scribentem *vi deiecit,* quod etsi proprium verbum de iis, qui vel eiiciuntur vel reiiciuntur, esse docuit Keller. Semestr. Cic. p. 399 (cf. Cic. p. Tull. 44), tamen non dubium est, quin antiquiores etiam *eiicere* dixerint idque h. l. omnes cod. tuentur.

12. *Non mediocris res,* magna res, multi agri, ut paulo post ipse expli-

possidentur. His cavet, hos defendit, hos privatos facit: hos, inquam, agros, quos Sulla nemini dedit, Rullus non vobis assignare vult, sed eis condonare, qui possident. Causam quaero cur ea, quae maiores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hispaniis, Macedonia, Asia quaesiverunt, venire patiamini, cum ea, quae vestra sunt, condonari possessoribus eadem lege videatis.

Iam totam legem intelligitis, cum ad paucorum dominatio- 13
nem scripta sit, tum ad Sullanae assignationis rationes esse accommodatissimam. Nam socer huius vir multum bonus est. Neque vero nunc de illius bonitate, sed de generi impudentia disputo (ille enim quod habet retinere vult neque se Sullanum IV

12. *Sicilia, Africa, duabus.* — *Asia reliquerunt, venire.* — 13. *intelligetis.* — *neque ego nunc.*

cat. Quare etiam *furtum* dicitur res furto surrepta. — *paucis hominibus*, qualis fuit C. Verres, cui Cicero in Verr. I, 15, 38 cum ab Marianis transisset, in agro Beneventano quaedam proscriptorum bona diripienda concessa esse scribit. — *Sicilia.* Addunt quidam codices *Africam*, quia nullam, opinor, ex iis provinciis, quarum agros publicos Rullus vendebat, praetermitti volebant. Sed cur plenissimam illam recensionem esse oportet? Itaque nos nostrorum codicum fidem secuti sumus. Deterior etiam sine dubio est eorum auctoritas, qui *reliquerunt* quam qui *quaesiverunt* exhibent, etsi sententia utraque est bona.

13. *intelligitis.* Concludit Cicero quae de Sullanis agris disputavit; cur igitur, ut satis de ea re dixisse se significet, non addat intelligi iam a populo Rom. naturam legis, ut orat. I, 5, 14 item in transitu ad aliam partem legitur *videtis*? Poterat certe etiam *intellexistis*, quod est orat. II, 18, 7. Futurum quidem *intelligetis*, quod deteriores libri ms. habent, non est opus. De *paucorum* antem *dominatione* disseruit orat. II, 13, 133. — *Nam socer huius* cet. Vitiosus totus hic locus reperitur in codicibus. Unum praeclare restituit P. Manutius, quod cum libri ms. habeant *de genere impudentiae*, emendavit *de generi impudentia*, sed supersunt alia, quae ab interpretibus silentio praetermissa esse miror. Etenim expositurus est causam, cur legem suam Servilius in gratiam Sullanorum hominum tulerit, quae causa posita erat in socero. Itaque illud *nam*, quod argumentationem orditur, facile feremus, etsi in bonitate soceri ipsa causa nulla est. Item feremus, quod *multum bonus* appellatur, etsi ab Ciceronis fere usu recedere putamus, ut multum tamquam adverbium cum adiectivis coniungatur. Sed ut haec intelligo, ita quae sequuntur *neque ego — disputo* non intelligo. Expectamus enim hanc fere sententiam: *socer huius bonus est, sed mihi non de eius bonitate, verum de genero dicendum est*, ut adversativa particula requiratur. Deinde supervacaneum pronomen *ego* est, quod cur praecipue efferatur nemo videat. Scripsimus igitur eo sublato *neque vero nunc — disputo*. Quae proxime de soceri bonitate sequuntur, nullam offensionem habent, sed impudentia Rulli in

esse dissimulat: hic, ut ipse habeat quod non habet, quae dubia sunt, per vos sancire vult) et eum cum plus appetat quam ipse

et eum plus.

duabus rebus sita erat, quae supra commemoratae erant, in eo, quod agros Sullanos optimo iure privatos esse iussit, deinde, quod Ciceronem Sullanum esse insimulabat. In utraque autem harum rerum commemoranda est quod haereamus. Nam illud quod omnes codices sine ulla varietate retinent *ut ipse habeat quod non habet* quid esse dicemus? At Turnebus, ut optimo iure, inquit, habeat, quod habet nullo. Eum enim, qui nullo iure habet, non putat habere. Sit ita, ut qui agrum nullo iuro habeat, eum non habere possit dici (quamquam certe raro nec sine insigni quodam acumine potest dici), esse certe oportebat agrum, quem nullo iure Rullus possideret. Sed nulla eius rei per has orationes significatio reperitur. Saepius Cicero Rulli socerum in Sullanis possessoribus commemorat, significat etiam alios, ipsum Rullum nulla usquam levissima suspicione tangit. Quid igitur aliud Rullus non habet, quod habere cupiat? Nihil scio aliud praeter hereditatem soceri, quam cum non habeat, habere tamen cupit, quam nisi Sullani agri confirmentur, ut habiturus sit timet: eaque ipsa in re Rulli impudentia sita est. Nam Valgius ipse quod iam habet retinere cupit, Rullus iis, quae habiturus est, consulit. Atque haec quidem recta interpretatione expediri potuerunt: in reliquis duplex est offensio et grammaticae rationis et sententiae. Dicunt enim *criminor* passive intelligi. At nusquam ita Cicero dicit, nusquam ullus bonus scriptor, Plautus tantum et Ennius citantur, Priscianus VIII, 5, 25 apud vetustissimos reperiri ait *crimino*, i. e., ut opinor, non apud Ciceronem; omninoque ab hoc facilius activa in deponentia detorqueri existimo quam contra: num igitur h. l. subito tantam consuetudinem relictam esse existimabimus? Sed feratur tamen Cicero a se ipse quasi desciscens: num ex iis, quae vulgo eduntur, sententia, quae ferri possit, efficitur? Quis enim ita dicit: *cum plus appetat quam Sulla, Sullanas res defendere criminor?* Impudentia enim in eo sita esse debet, quod idem homo et plus appetat quam Sulla et alterum Sullanae cupiditatis arguat, quare qui appetere dicitur, idem criminari debet dici. Quare Lambinus olim sententiae necessitatem secutus emendavit *defendere me criminatur*, sed ea pinguior est ratio, violentior, cum codicum auctoritate non concilianda. Atque etiam quae antecedunt vulgoque sic eduntur *quibus rebus resisto*, vitiosa esse censeo. Nam si hoc tantum dicat, se Servilio resistere, quoniam id facile apparet, magnopere frigeat oratio (quare olim contra codices pronomen *ego* solebat inseri): acumen quoddam quaerendum est, ut se eundum et resistere et argui dicat. Habent etiam codices parvam corruptionis significationem. Nam quod in Lag. 9 bis *rebus* legitur, etsi casu accidere potuit (cf. commentar. critic. ad § 2), probabilius tamen est cum causa aliqua esse factum. Quare h. l. emendo *qui eius rebus resisto*; reliqua emendatio non minus facilis est. Nihil enim muto, nisi ut ante particulam *cum* excidisse putem *eum* scribamque *et eum cum*. Sed aliter totam orationem dispono eaque quae sunt *ille enim — sancire vult* quasi parenthesis cuiusdam loco

Sulla, qui eius rebus resisto, Sullanas res defendere criminor. Habet agros nonnullos, inquit, socer meus desertos atque longin- 14
quos: vendet eos mea lege quanti volet. Habet incertos ac iure nullo possessos: confirmabuntur optimo iure. Habet publicos: reddam privatos. Denique eos fundos, quos in agro Casinati optimos fructuosissimosque continuavit, cum usque eo vicinos proscriberet, quoad oculis conformando ex multis praediis unam fundi regionem formamque perficeret, quos nunc cum aliquo metu tenet, sine ulla cura possidebit.

Et quoniam, qua de causa et quorum causa ille hoc pro- 15
mulgarit, ostendi, doceat ipse iam ego quem possessorem defen-

Sulla, quibus rebus. — 14. *nullo iure.* — 15. *promulgaverit.* — *ipse num ego.*

ad illustrandam Rulli impudentiam interiici, reliqua ad orationem, quae instituta erat, pertinere arbitror.

14. *agros — desertos*, nimirum propter pestilentiam. Dixit de his agris orat. II, 26, 68 sq. *Incertos* autem, quemadmodum ipse explicat, eos, qui incerto iure sunt, qui utrum publici an privati sint, in incerto est. — *fructuosissimosque.* Sic Erfurtensis codex habet, sive quod ita in eo qui describebatur codice inveniebat, sive, quod magis credo, de coniectura; sed probabile est particulam *que* excidisse. Nam etiam in iis quae deinceps sunt verbis leviter peccant omnes codices. Omnes enim exhibent *cundi* pro eo, quod Nangerius recte scripsit *fundo*, omnes *perfecerit*, quod cum ad idem tempus, quo *proscriberet* pertinet, referri necesse sit, Ernestius emendavit *perficeret.* Item in omnibus libris ms. est *oculis confirmando*, quod merito iam antiquissimis editoribus displicuit accepimusque quod Guilelmius coniecit *oculis conformando*, quod et leviter recedit et, quamvis similiter dictum non repererim, tamen de eo, qui oculis regionem contueatur eiusque fines mente ac cupiditate describat, recte videtur posse usurpari.

15. *promulgarit.* Codices omnes exhibent *promulgavit*, quem errorem cum priores non animadvertissent, primus sustulit Graevius assensitque C. T. Zumpt. ad Cic. in Verr. II, 53, 131, quem sine dubitatione secuti sumus. — *doceat ipse iam.* Quod adhuc edebatur *doceat ipse num ego quem possessorem defendam*, falsum esse facile patet. Nam cum supra Sullanos possessores ab Rullo defendi ostenderit, nunc, quoniam se ipsum contra ponit, vel illos a se non defendi vel alios defendi debet docere: cum illud non faciat, superest ut hoc faciat. Tum *doceat num quem possessorem defendam* hoc valet nullum possessorem defendi; at deinceps ter, quae nominat, in reipublicae possessione esse ait. Efficitur, ut docere iubeat non *num quem*, sed *quem possessorem* defendat, i. e. ex quo genere sint ii, quos Cicero defendat, possessores. Quare, cum particula *num* in omnibus prope libris ms. reperiatur, extitisse eam censeo ex eo, quod erat *iam*, quo Cicero continuationem orationis significabat. De

dam, cum agrariae legi resisto. Silvam Scantiam vendis: respublica possidet: defendo. Campanum agrum dividis: vos estis in possessione: non cedo. Deinde Italiae, Siciliae ceterarumque provinciarum possessiones venales ac proscriptas hac lege video: vestra sunt praedia, vestrae possessiones: resistam atque repugnabo neque patiar a quoquam rempublicam de suis possessionibus me consule dimoveri, praesertim cum vobis nihil quaeratur.
16 Hoc enim vos in errore versari diutius non oportet. Num quis vestrum ad vim, ad facinus, ad caedem accommodatus est? Nemo. Atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager et praeclara illa Capua servabitur. Exercitus contra vos, contra libertatem vestram, contra Cn. Pompeium constituitur: contra vos manus hominum audacissimorum, contra Cn. Pompeium de-

vendis: populus Romanus possidet. — cedo, Denique Italiae. — quoquam populum Romanum de suis. — demoveri: — praesertim, Quirites, cum. — 16. in hoc enim vos errore. — servatur.

silva Scantia cf. ad orat. I, 1, 3. — *respublica possidet.* Retinui hanc omnium codicum lectionem, etsi quod Lauredanus scripsit *populus Romanus possidet,* et facillima mutatione efficitur et ferri potest. Sed videtur paululum interesse. Nam *rempublicam* cum possidere dicit, significat aerarium possidere, vectigal publicum ex ea re redire, quod in *populo Romano* non necesse est inesse. Quare etiam paulo post melioribus codicibus, qui *rempublicam,* non *populum Romanum* habent, parui. Quod autem *dimoveri* edidimus, cf. ad Cic. p. Mur. 38, 82 et supra ad orat. I, 29, 81.

16. *in errore.* Praepositionem cum codices omittant, primus adiecit Iuntinus editor secutique sunt merito plurimi. Nam *versari errore,* sicubi dicitur (nec tamen usquam inveni) erit agitari, huc illuc agi errore, quae significatio ab hoc loco aliena est. Cf. ad orat. II, 3, 7. Errorem autem ipsum dicit eum, ut putet populus Romanus lege Servilia sibi aliquid quaeri, ex ea se agros aliave commoda esse accepturum. — *ad vim* seq. Cf. orat. II, 28, 77. Scripsimus autem *atqui,* etsi id minore codicum auctoritate commendatur, quia adversativam aliquam vim inesse oportet. Sed *servabitur* est in optimo codice, nec propterea reliqua tempora item futura esse necesse est. Nam deducti coloni Capuam nisi lege perlata non poterant, sed exercitus constituebatur et Capua, audacissimi homines, decem duces comparabantur iam, cum de lege agebatur. — *convocaverunt.* Insolitum prorsus est unum hominem convocari nec simile exemplum novi; quare aliis *vocaverunt,* aliis *evocaverunt* placuit. Ernestius quidem quod defendit codicum lectionem, referendam esse ad eos, qui Ciceronem vocarant, omnes voluisse eum in contionem venire, minus probo nec si plures vocent, unum convocari existimo. Tamen h. l. necessarium esse iudico *convocaverunt.* Quid enim flagitarat populus? Num hoc, ut Cicero in contionem veniret? Tum inepte ille sic ratiocinaretur: disserant, etenim me vocaverunt. Nam cum vocatus esset, oportebat eum

cem duces comparantur. Veniant coram et, quoniam me in vestram contionem vobis flagitantibus convocaverunt, disserant.

evocaverunt.

suam rationem defendere, non disputare cum tribunis. At populus flagitarat, ut Cicero in contionem cum Rullo eiusque amicis conveniret: eamque ob causam recte ille tribunos secum coram disserere volebat. Est igitur in convocando h. l. similis praepositionis vis atque in coeundo, conveniendo aliisque eiusdem generis.

EXCURSUS DE LEGE CURIATA

ad orat. II, 10, 26—12, 30.

Nihil prope est in tota antiquitate Romana, quod ex vetere tempore maiores virorum doctorum controversias ac contentiones excitarit quam hic locus institutaque quae hic commemorantur: quibus contentionibus si quod verum esse videretur, effectum esset, facile esset nostrum munus, ea, quae ad huius loci interpretationem pertinent, componendi. Nunc plurimos viros doctos hac ratione usos esse video, ut spretis antiquis auctoribus tamquam imperitis dum alius alia fingit, de multis levioribus rebus contenderent, ab eo, quod aut verum aut probabile esset, discederent. Quibus etsi iure irascimur, non possumus tamen hoc loco tantum tribuere, ut refellendis opinionibus immoremur. Ipsa quae vera esse videbuntur exponemus, in quibus exponendis cum aliquantum elaborarimus, utemur etiam studiis duorum virorum, qui soli prope rectiorem viam inierunt, I. Rubinonis quaestion. de Rom. rep. et hist. 1839 et L. O. Broeckeri quaestion. de fide vetustissimae hist. Rom. 1858. *Curiarum* igitur est antiquissima pop. Rom. descriptio atque ad ipsam urbis originem referenda; nam Romulo tribuitur. Eae fuerunt triginta, cum aliarum rerum communione tum sacris coniunctae suosque singulae habebant sacerdotes ac suum locum, in quo curionalia sacra celebrarentur. In has autem curias totum pop. Rom. fuisse descriptum, i. e. non patricios modo cum clientibus, verum etiam plebeios consentiunt veteres auctores (velut Dionys. Antiq. II, 7 sq., 14; IV, 20; Liv. II, 56; Cicer. de rep. II, 21, p. Corn. p. 76), nec ulla est negandi ratio ei, qui quam par est, constantiam in rebus Romanis narrandis servare velit. Suffragia igitur ferebantur curiatim i. e. ut, quod maiori curiarum parti placuisset, valeret (Dionys. II, 14). Qua autem re curiata suffragia discrepabant ab tributis? Nam tribuum descriptionem similem fuisse constat tributisque comitiis quod maiori tribuum parti placuisset, decernebatur. Ac Livius quidem I, 42 et 43 centuriatorum comitiorum rationem exponens, in curiatis ait suffragia lata esse viritim, non pro habitu pecuniarum, nec

gradus pro censu factos esse, ut in centuriatis. Quod si ita accipiamus, ut omnes, qui in curia essent, numeratos, tum quod maior eorum pars decresset, ratum esse habitum statuamus, parum erit discriminis cum tributis comitiis, in quibus hac maxime ratione suffragia lata esse scimus. Subvenit Laelii Felicis auctoritas apud Gell. XV, 27: *Cum ex generibus hominum suffragium feratur, curiata comitia esse — cum ex regionibus et locis, tributa.* Apud quem qui olim *genera* pro gentibus patriciorum accipiebant, merito nunc spernuntur: qui *genera* interpretabantur ipsas curias, et cum Dionysio II, 7 pugnabant, qui curias item regionatim descriptas fuisse et cum agri Romani divisione quodammodo convenisse significat, et rursus parum discriminis cum tributis comitiis efficiunt; nam et tribus mox ab regionum et locorum ratione declinare coeperunt et quocunque modo vel tribus vel curiae instituebantur, si intra utraque numerus tantum hominum valeret, parum intererat. Existimamus igitur coniuncta Laelii Felicis et Livii auctoritate, intra curias ipsas genera hominum esse descripta, ut intra quodque genus viritim suffragia ferrentur, universaeque curiae suffragium ex generum suffragiis aestimaretur. Genera ipsa ut nominentur ac constituantur, propter auctorum silentium vix fieri potest, sed intelligenda esse videmus ea, quae et ex quaestu victuque et quae ex nationum diversitate nascantur. Nam cum urbem Romam ex multis oppidis coaluisse civitatemque aliarum civitatum exitio auctam esse constet, quin novi cives, qui Romam traducerentur, in curias recepti sint, eo minus debet dubitari, quod quasdam gentes olim domi nobiles undique in patricios ascitas esse notum est. Veruntamen si cui haec, quam de coniectura exposuimus, curiarum descriptio non probabitur, supererunt alia tributorum et curiatorum comitiorum discrimina, quae a veteribus auctoribus produntur: quae ipsa per se tanta sunt, ut plebs cur tributa comitia maluerit intelligas. Etenim Dionys. IX, 41 de lege Publilia narrans curiata coniuncta esse ait cum senatusconsulto et cum auspiciis (ac tres certe augures adesse oportuisse discimus ex Cic. ad Att. IV, 18, 2), tributa et senatusconsulto et auspiciis carere, ideoque uno die posse peragi. Sed de hac senatusconsulti et comitiorum curiatorum coniunctione secum ipse pugnare videatur Dionysius. Etenim h. l. ait προβουλευσαμένης τῆς βουλῆς, i. e. senatum ante comitia indicasse iudicat, sed libr. II, 14 de Romuli rebus narrat quod maiori curiarum parti placuisset, consuesse ad senatum deferri. Veruntamen addit sua aetate eum morem esse mutatum; neque enim senatum de iis quae populus iussisset, indicare, sed quae senatus decresset, ea indicari a populo. Sic igitur quae confirmatio rerum a populo actarum senatui tradita erat, in προβούλευμα senatus mutata est excusaturque optime, quod de Publiliae legis tempore referens comitia curiata cum senatusconsulto, quod antecederet, coniuncta esse scribit, suam aetatem respiciens, non vetustatem ipsiusque rei originem. Nimirum quando hanc mutationem, qua summa reipublicae potestas ab senatu ad populum translata est, accidisse existimamus? Primum lege Maenia, quae incertae aetatis est, qua cautum est, ut patres ante inita a populo suffragia auctores fierent (Cic. Brut. 14, 55), tum Publilia dictatoris Q. Philonis ann. 339, cuius Liv. VIII, 12 hanc legem fuisse ait, ut *legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent.* Quarum legum quae ratio inter se fuerit,

utrum illa ad sola curiata comitia, haec ad centuriata pertinuerit, an vero alias res ab una praetermissas altera adiecerit, etsi certo dici non potest, quid tamen ambabus effectum sit, apparet idque indicat Liv. I, 17 de Numae Pompilii regno dicens: *Decreverunt, ut, cum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent, hodieque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur idem ius vi adempta: priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt*, eodemque pertinet Cic. p. Planc. 3, 8 *Patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum*, sed non pertinent, quae Licinius Macer apud Sall. hist. III, 82, 15 (ed. Kritz.) habet; *libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paraverunt*, quae ad tributa comitia adversus patres instituta censeo esse referenda. Sic igitur effectum est, ut in comitiis et curiatis et centuriatis (nam tributa a patribus libera erant) patrum auctoritas non confirmandi causa subsequeretur, sed antecederet. Quamquam ipsa haec *patrum auctoritas* qualis esset, magnopere olim fuit dubium. Etenim senatum non appellari patrum nomine intelligebatur; siquidem Licinius Macer loco, quem modo laudavi, *patricios* auctores dicit, item Dionys. II, 60, Liv. VI, 42; Gai. Inst. I, 3; in senatu autem non tantum patricios, verum etiam plebeios fuisse constat; et Liv. VI, 42 anno 367 a. Chr. in conciliauda plebe narrat factum esse senatusconsultum *patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent*; de se ipso autem senatus spondere potest se futurum auctorem, sed decernere ut fiat non potest. Diversos igitur patres ab senatoribus esse apparet, sed erant tamen etiam quodammodo cum iis coniuncti; nam nec ipsum auctoritatis vocabulum in ulla re praeter senatoriam reperias nec Dionysium IX, 41, quem locum citavimus, qui de hac patrum auctoritate narrans προβούλευμα τῆς βουλῆς commemorat, etsi videas parum proprie quod prius valuerit ad posteriorem aetatem transferre, aliter explices. Nec profecto ullum apud Romanos publicum consilium, quod patriciis tantum constaret, scriptores fuisse tradunt. Quae cum ita sint, Broeckerus libro, quem dixi, p. 64 in senatu fuisse docet corpus quasi quoddam patriciorum, quod cum Servius Tullius primus plebeios in senatum ita reciperet, ut ii in patricios non transirent (nam quos Tarquinius Priscus receperat, in patricios ascriptos esse narrat Zonar. VII, 8) ius auctoritate sua comitiorum confirmandorum retinuerit. Ac probabile sane est conveniteque cum more Romano, ut patricii, qui ad id tempus soli senatum effecerant, cum plebeii admiscerentur, non omnia iura vulgarint, sed quaedam sibi reservarint eoque magis, quod cum in comitiis curiatis plebeii multitudine plus valerent, patriciis, qui soli tunc ad honores admittebantur, impediendi non dubia potestas relinquenda videtur fuisse. Corpus autem illud patriciorum sive patrum non tantum in libertate, verum etiam postea sub imperatoribus diu constitisse docet Zonaras VII, 9, cum calcealmenti lunula insigne, tum duabus his rebus praeditum, ut soli interreges soli que flamines Dialis, Martialis, Quirinalis fierent (Tac. Ann. IV, 16). Eidem hoc, ut auctoritate sua comitia confirmaret, concessum speciemque eam vi dudum sublata diutissime esse conservatam coniicimus nos quidem, sed coniicimus cum summa probabilitate, omnibus veterum testimoniis observatis, nulla re, quae cum more Romano puguet, admissa: ipsi certe veteres auctores ple-

nius enarrassent, nisi et saepe in iis rebus, quae sua aetate notae essent, tacuissent et totum institutum ad inanem speciem pervenisset. Ipse senatus, postquam ex plebeiis et patriciis componi coeptus est, nunquam comitiorum arbiter fuit, sed patricii, qui in senatu erant, et olim tantum in republica potuerant et postquam invaluerunt plebeii, speciem tamen potestatis retinuerunt. Hanc igitur esse statuimus illam *auctoritatem patrum* sive patriciorum, de qua tot virorum doctorum controversiae fuerunt, haec sunt comitia curiata, quibus antiquissima Romanorum respublica regebatur.

Quae quomodo paulatim mutata sint atque ad illam, quam diximus, inanem speciem pervenerint, deinceps videndum est. Iam antiquissimo more, qui a Numa, divini iuris conditore, repetitur, ad magistratus rite creandos duabus opus est legibus (nam quicquid a populo iubetur, ad quamcunque rem pertinet, legis nomen habet), id quod cum ex aliis obscurioribus indiciis intelligitur, tum clare perspicitur testimonio Ciceronis, qui de rep. II, 13, 25 de Numa sic scribit: *Qui ut huc venit, quamquam populus curiatis eum comitiis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit*, tum de Tullo c. 17 *Tullum Hostilium populus regem interrege rogante comitiis curiatis creavit, isque de imperio suo exemplo Pompilii populum consuluit curiatim*, tum de Anco c. 18 *rex a populo est Ancus Marcius constitutus, itemque de imperio suo legem curiatam tulit*, tum de Tarquinio Prisco c. 20 *cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius — Isque ut de suo imperio legem tulit*, denique de Servio Tullio c. 21 *primus* (vel *primum*) *iniussu populi regnavisse dicitur. — cum Servius, ut ante dixi, regnare coepisset non iussu, sed voluntate atque concessu civium — Tarquinio sepulto populum de se ipse consuluit iussusque regnare legem de imperio suo curiatam tulit.* Utraque autem lex constabat, ut supra expositum est, tum quidem et comitiis curiatis et auctoritate patrum sive patriciorum. Quaeritur, cur bis de singulis regibus agi apud populum et decerni a patribus consuerit: qua de re optime disputavit Rubino eo, quem laudavi, libro p. 360 sq. Etenim alteram legem Cicero fuisse ait de imperio latamque ab eo ipso, cui imperium dabatur, priore esse creatum regem sive iussum regnare sive constitutum nec eam latam ab ipso illo, qui fiebat, rege, sed ab alio quo (atque in Tullo nominatur interrex idemque in Numa intelligendus), qui comitiis praeesset: in Servio Tullio, cuius causa singularis erat, exceptionem Cicero addit, ipsum de se consuluisse populum. Nimirum ex severitate iuris Romani nulla obligatio verbis fieri potest nisi inter eos, qui obligantur, ut et is, qui stipuletur, ipse promittat, et is, cui quis stipuletur, ipse stipulationem audiat ac quasi accipiat. Hanc iuris sui regulam diligenter Romani in regibus faciendis sequebantur. Etenim priorem legem curiatam alius ferebat, alii ferebatur: ea populus creabat regem i. e. promittebat se alii alicui atque ei, qui rogabat, dicto esse audientem futurum. Sed eo promisso nec rex tenebatur, ut imperaret, nec populus, ut imperia religiose acciperet: oportebat hoc accedere, ut altera lege populus ipsi qui rex futurus erat obligaretur. Quare hic mos Romanus similis est ei, qui apud nostros reges obtinet, qui postquam facti sunt, sollemnia instituere solent, quibus diadema sumant venerationemque civium se dicto audientes futuros religioso promittentium accipiant; quae sol-

lemnia sicut apud nos saepe differuntur, sic apud Romanos legem de imperio non continuo oportebat ei, quae de creando lata erat, succedere. Veruntamen qui creavit regem populus, eum si iisdem comitiis ab rege de imperio deferendo consulatur, parum probabile est non esse delaturum: itaque in lege curiata de imperio ab ipsa origine magis species quaedam religiosa quam vera ac magna potestas quaerebatur. Quare factum esse arbitror, ut hanc in regibus creandis iuris severitatem unus Cicero et quidem in eo libro, quem de republica scriberet, tradiderit, reliqui scriptores tamquam commemoratione indignam praetermiserint. Nam Livius, cum de Tarquinio creato prorsus taceat, I, 17 de Numa narrat: *decreverunt enim* (patres), *ut cum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. — regem create, patres deinde — auctores fient*, tum I, 22 *Tullum Hostilium — regem populus iussit: patres auctores facti*, tum I, 32 *Ancum Marcium regem populus creavit: patres fuere auctores*, tum I, 46 in Servio Tullio populi tantum consensum commemorat praetermissa patrum auctoritate. Quibus Livii verbis fuerunt, qui ita abuterentur, ut cum nihil eorum, quae Cicero narraret, apud eum deesse oportere statuerent, auctoritatem patrum idem esse opinarentur quod legem curiatam: quibus nos non credemus. Livius priorem tantum legem, qua rex creatus erat, commemorat, in qua recte comitia et patrum auctoritatem discernit, de altera tacet. Dionysius quidem, qua est in narrando verbositate, bina comitia de singulis regibus habita cum fide commemorat, de Numa II, 58 et 60, de Tullo III, 1, de Anco III, 36, de Tarquinio III, 46. Quamquam Romani, quo religiosius veteres caerimoniae conservarentur, certas quasdam res cum hac lege curiata coniunxerunt, quas sine ea minus recte administrari putabant. Continebatur enim ea *imperium*, quod dicitur. Id autem situm est in tribus rebus, primum in exercitu urbano regendo, deinde in iudicando, denique in comitiis curiatis centuriatisque (nam ea cum imperio auspiciisque coniuncta erant) habendis. Quare Cicero antiqui moris severitatem, non suae aetatis negligentiam respiciens, huius orationis cap. 12, 30 narrat *consuli, si legem curiatam non habeat, attingere rem militarem non licere.*

Quaeritur autem, quibus magistratibus lege curiata opus fuerit. Significat haud dubie Cicero h. l. 11, 26 *patricios magistratus* nominans, i. e. consules, praetores, aediles curules, quaestores. Nam tribunos et aediles plebis nihil, quod imperii simile esset, habuisse constat. Reliqui autem inferiores magistratus, IIIviri capitales, IVviri viarum, IIIviri monetales, curationem tantum habebant et ea aetate (circa ann. 289 a. Chr.) creari coepti sunt, qua veteris religionis vis iam evanuerat. Sed horum magistratuum hoc erat discrimen, quod consules et praetores maiora auspicia habebant, reliqui aediles et quaestores minora, quare illi maiores, hi minores appellabantur, qua de re Messala apud Gell. XIII, 15 scribit: *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creatis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege, maiores centuriatis comitiis fiunt.* Valebatque hoc discrimen etiam ad rationem legis curiatae de imperio ferendae. Etenim in regibus hunc morem obtinuisse videmus, ut, qui creati essent, ipsi legem de imperio

suo ferrent, idque et origo et natura eius consnetudinis postulat. Sed cum bini consules in regiam potestatem succêssissent, quid factum esse arbitramur? Utrum singuli de suo quisque imperio ferebant, an bini coniunctim? Primis libertatis temporibus quid fieri consnerit, non traditur, sed postea adulta libertate unam coniunctim de consulibns latam esse legem, ex ipsorum horum Xvirum ratione, a qua disputatio nostra profecta est, intelligemus. Nam cum decem sint, unam legem curiatam Cicero commemorat, non plures; ait enim *lege curiata Xviros ornat* et *eam legem ferri iubet*, ut una prorsus lex omnibus Xviris suffecisse videatur, quippe qui pari potestate ac pari iure futuri essent. Quare quod § 30 est *consulibus legem curiatam ferentibus* sic interpretabimur, ut ambo consules coniunctim de imperio suo tulisse statuamus. Sed aedilibus et quaestoribus quid factum est, qui cum iure cum populo agendi carerent, tamen curiata lege eos ornandos fuisse Messalae testimonio docuimus? Ipsi de se ad populum ferre non poterant, sed oportebat alium. Ac de quaestoribus quidem significat Tacitus Ann. XI, 22 *sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita, mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret.* Unde discimus initio libertatis quaestoribus, quamvis a consulibus deligerentur, tamen necessariam esse visam legem curiatam, nec eius magistratus ratio, postquam comitiis fieri coepit, mutata est. Sed lex curiata, qua iis opus erat, ferebatur a consulibus; nam L. Brutus consul suo tulerat quaestori, nec dubium est, quin eius auctoritatem deinceps Romani secuti sint. Causam, cur quaestores, quamvis a consulibus fierent, tamen lege curiata ornandi esse viderentur, Rubino l. l. p. 392 censet fuisse hanc, quod reges cum partem aliquam potestatis suae mandassent, etiam hanc, quam mandassent, ab populo coli atque observari vellent; de quo iure mandandi quae olim tradita erant, nuper praeclare legis municipalis Salpensanae cap. XXV confirmata sunt. Nobis quidem nec haec de mandata potestate sententia, quatenus quidem ad legem curiatam refertur, satis probatur nec, quod L. Brutus quaestoribus eam tulit, demonstrare videtur, eandem reges suis quaestoribus tulisse; nam quod Tacitus eam repetitam esse ait, significat, Brutum semel de suo imperio tulisse, tum, postquam quaestorem delegit, iterum tulisse de quaestore. Nimirum, si quaestoribus legem curiatam constat latam esse ab consulibus, item existimabimus aedilibus, qui non magis ius cum populo agendi habebant, atque a Messala in minoribus magistratibus numerantur. Quid autem de praetoribus statuemus? Collegas eos esse constat consulum, qui si non singuli de suo imperio ferebant, primum non singillatim de praetoribus, sed coniunctim de omnibus latum esse videbimus; etiam hoc intelligemus ab probabilitate non abhorrere, cum de suo imperio ferrent, consules simul tulisse de praetoribus, sive ii, qui consulum collegae essent, in iis, qui ferrent nominabantur (atque hoc magis credo) sive non nominabantur. Efficietur, ut una quotannis lex de imperio omnium magistratuum coniunctim lata sit. Idque si recte ac simpliciter explicetur, docet haud dubie Dio XLI, 43. Nam in bello civili Caesaris anno 48 a. Chr., cum Caesar in urbe et consules et reliquos magistratus rite faceret, a Pompeianis in Graecia versantibus, quamvis et maiorem senatus partem, et locum auspiciis conse-

cratnm baberent, tamen nullos magistratus ait esse factos. In causa hoc fuisse, quod consules legem curiatam non tulisseut, αἴτιον δὲ, ὅτι τὸν νόμον οἱ ὕπατοι τὸν φρατριακὸν οὐκ ἐξενηνόχεισαν. Unam legem nominat, qua uegleeta nec consules nec praetores uec reliqui magistratus fieri potuerint. Quare originem huius moris illam fuisse statnemus, cum olim rex de suo imperio ferre cousuesset, postquam libertate instituta regium imperium primum in binos consules, deindo per praetores, aediles, quaestores divisum est, omnibus magistratibus coniunctim lege curiata idem, quod antea unus tenuerat, imperinm datum esse. Sed si una omnibus magistratibus lex curiata ferebatur, num necesse fuisse putamns, omnes coniunctim ac praesentes ferrent? Minores ne potuisse quidem ipsos ferre docuimus: quare ne maiores quidem omnes adesse oportuisse censeo, sed suffecisse consnles vel alterum adeo de consulibus. Quamquam hoc utique semper factum esse arbitror, ut omnium, quibus lex curiata ferobatur, nomina perscriberentur certisque atque a plebe iam creatis hominibus imperium daretur. Quae cum ita sint, incortum videtnr fragmentum Festi p. 351, 352, ju quo lex curiata commemoratur, necdum repertum esse quo pertineat. Nam Ursini restitutionem merito improbavit Rubiuo l. l. p. 381, Rubinonis sententiam recte sprevit Th. Mommsen. in mus. Rhen. ann, 1858 p. 565, Mommsenii denique coniectura hac re uititur, quod utrumque consulem adesse oportuisse annoque 211 utrumque absentem cousulem creatnm esse putat. De illo diximus, hoc refutat Livius XXIV, 9, qui Q. Fabium praesentem et comitia habuisse et aliquamdiu Romae mansisse uarrat.

Verum praeter hos ordinarios, qni quotannis fiebant, magistratus etiam extraordinarios, si qui, ut opinor, praetoriae potestatis fierent, curiata lege ornari consuevisse hic Ciceronis locus docet. Nam si insolitum hoc fuisset ac suis Xviris Rullus novi aliquid tribuisset, quantos clamores excitaret orator. Quare moris fnisse putablmus, ut curatores agrarii lege curiata augerentur, non modo IIIviri legis Semproniae, qnos de maximis rebus indioare oporteret, sed etiam illi, qui saepo fiebant ad colonias deducendas, qnae sine auspiciis condi non poterant. Nunc hoc Cicero tamquam insolitum vitnperat, quod *curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus*, suam nimirum aetatem respiciens, antiquitatem reique originem negligens; nam et quaestores etiam cum ab consulibus eligerentur, curiata lege confirmatos esse vidimus et dictatores, qui a consule dicebantur, tamen lege curiata imperium accepisse constat (Liv. VIII, 37). Ratio autem ipsa ferendae legis, quae h. l. commemoratur, notanda est. Nam ferri iubet a praetore, aut ab eo, qui primus, aut ab eo, qui postremus factus sit. Explicavimns id qnale esset breviter in commeut. epigraph. I p. 271. Etenim legem ferri oportebat ab eo magistratn, qni parem potestatem habebat atqne is cui ferebatur, i. e. ab consulibus, si qua consularis potestas constitueretur, a praetoribus, si praetoria. Ac Rullus, cum legem ferri mallet, uon modo genus magistratuum uominarat, quod si fecisset, dum alius in alium transfert, facilius omnino ferri non poterat, sed dnos certos constitnerat, enm, qui primus et eum, qui postremus praetor factus erat, significans dubium esse, ntrum antecederet Xvirum potestas praetoriae an posthabenda esset. Id Cicoro *perversum* et *ridiculum* appellat, nos novum fuisse colligemus excogitatumqne ab Rullo, cum antea curatoribus extra-

ordinariis lex curiata tantum a praetoribus vel a consulibus ferri iussa esset.

Veruntamen haec lex curiata si quando non esset lata vel per neglegentiam vel per aliud impedimentum, quid sequebatur? Magnifice loquitur h. l. Cicero. Etenim *designatos* appellat, qui comitiis facti erant, antequam lege curiata confirmarentur, tum *maiores de singulis magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam cum curiata lex patriciis magistratibus ferebatur, tum iterum de iisdem iudicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret*, tum *maiores binis comitiis voluerunt vos de singulis magistratibus iudicare*, denique *nihil agi per Xviros posse*. Magna igitur sunt verba, quibus extollit prudentiam moremque maiorum, sed eadem admodum incerta, ubi de iis quae neglecta lege consequantur dicit. Neque enim Xviros negat esse Xviros sine lege curiata, sed *nihil agere posse* i. e. nihil magnopere, nihil serio posse agere. Pugnat etiam quodammodo secum ipse. Nam *ornari* ait Xviros lege curiata, tamquam ea ornamentum addatur, non vis ac potestas efficiatur, atque § 28, ubi dicit eos potestatem habere non posse, hanc causam adiicit, quod per novem tribus nullis comitiis essent constituti. Quare totum hunc locum oratorie ad plebem decipiendam comparatum, non ex re ac veritate scriptum esse intelligemus caveb̄imusque ne cum his confundamus ea, quae p. Planc. 3, 8 habet *apud maiores comitiorum reprehensores fuisse patres*, quae ad illam patrum auctoritatem pertinent, de qua diximus. Quae auctoritas usque ad legem Maeniam et Publiliam necessaria fuerat ad creandos rite magistratus significatque ipse Cicero addens *tum magistratum non gerebat is qui ceperat, si patres auctores non erant facti*. Sed h. l. de lege curiata dicens cum id agat, ut Rullum exagitet potestatemque plebis a tribuno imminutam esse doceat, ita loquitur, ut licebat apud imperitam multitudinem, magna verba usurpans, sed nihil certi afferens. Quid igitur fiebat lege curiata non lata? Nihil, opinor; consules non minus erant consules, reliquique magistratus sua quisque negotia administrabant, sed curabatur, ut ferretur lex atque antiquus mos observaretur, nec fere ullum annum fuisse censeo, quo non ferretur. Rarum enim erat, ut ferendae legis otium non esset, id quod accidisse scimus anno 49 a. Chr., cum Pompeiani subito Caesaris adventu exterriti atque urbe expulsi legem curiatam ferre obliti erant, quam rem Dio XLI, 43, qui locus iam supra citatus est, Pompeianis religiose auspicia caerimoniasque observantibus impedimento fuisse scribit, ne ipsi comitia insequentis anni magistratibus creandis haberent. Saepius autem accidebat, ut lex curiata propter intercessionem tribuniciam non ferretur, id quod angens verbis § 30 Cicero dicit: *consulibus legem curiatam ferentibus a tribunis plebis saepe est intercessum*. Quid tum accidebat? Nimirum agebatur cum tribunis, ut permitterent ferri, placabatur eorum ira, raroque consensui senatus magistratuumque resistere poterant. Sin tamen persisterent, nimirum consules non minus erant consules, similiterque reliqui magistratus, sed erant quaedam incommoda maxime de auspiciis, quae hic propter brevitatis rationem persequi non licet. Exemplo potest esse ann. 54 a. Chr., quo mense Octobri nondum latam fuisse legem curiatam constat (Cic. ad Q. fr. III, 2 extr.) nec omnino videtur lata esse: quo tempore quae magistratuum condicio fuerit,

indicat Cic. epist. I, 9, 25: *Appius (cos.) in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, se paraturum cum collega tibique* (in Ciliciam) *successurum: legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex senatusconsulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset.* In quo loco, si verba Ciceronis explicare Appiique res, quomodo in provinciam profectus esset, quomodo triumphum petisset, quomodo denique accusatus esset maiestatis, haec si persequi vellemus, magna esset copia disputandi. Sed non id agimus: intelligitur enim ex Appii verbis, hominis religiosissimi reique publicae peritissimi, *consuli legem curiatam ferri opus esse, necesse non esse,* quantulum magistratibus potestatis ea neglecta detrahatur. In extraordinariis quidem potestatibus erat etiam certa eludendae legis curiatae ratio, nimirum si in lege, qua fiebant, ascriberetur primum, ne liceret intercedere tribunos plebis (ita enim eius non ferendae una fere negligentiae excusatio relinquebatur), deinde si caveretur, ut quamvis non lata lege tamen qui fierent curatores pari iure essent quo qui optima lege. Utrumque num saepius usurpatum sit, non traditur ab scriptoribus, sed probabile videtur esse usurpatum. Nam nec Cicero h. l. neminem id ante fecisse dicit nec curatores agrarios, imprimis IIIviros Sempronios, cum invitissima nobilitate fierent meritoque voluntati consulum et praetorum diffideretur, probabile est non hoc potissimum modo lege curiata, qua opus haberent, esse ornatos. Utrumque suae legi ascripserat Rullus, qui quod vehementissime eam ob causam a Cicerone vituperatur legesque tollere ac tribuniciam potestatem imminuere arguitur, rursus oratorie fit, non ex rei veritate. Nam si tribuni plebis non tribuniciae potestatis, sed plebis tuendae causa instituti sunt, quidni plebi, si ita ex re sua esse iudicet, liceat tollere intercessionem? Ac rursus, si olim plebi licuit, pro curiatis tributa comitia instituere ac patricios cogere, ut in incertum comitiorum eventum auctores fierent, cur non liceat plebi legem curiatam, quae ex auctoritate patrum et comitiis curiatis constet, sua lege supplere? Nec profecto Cicero usquam non licere plebi ait, sed primum hoc urget, quod sine ullis comitiis Xviri constituuntur, tum, quod Rullus intercessionem tribuniciam expressis verbis sustulerat, tamquam inutile ac supervacaneum vituperat. Aliter ipse sensit Cicero anno 43 in summa reipublicae calamitate, cum imprimis auctor esset, ut Caesari Octaviano rempublicam armis adversus M. Antonium tuenti imperium daretur. Nam Phil. V, 16, 45 *demus igitur*, inquit, *imperium Caesari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest: sit pro praetore eo iure quo qui optimo.* Nam quod Caesari imperium petebat, quo ille ad bellum gerendum usurus esset, id vetere more nisi lege curiata dari non poterat: cuius ferendae cum in tanto tumultu vix otium esset, etiam intercessio tribunicia timeretur, addi volebat legi, ut quamvis lege curiata non lata tamen ille praetor esset eo iure, quo qui optimo.

Apparet, opinor, ex natura legis curiatae eiusque eludendae artibus, quae expositae sunt, quantopere ipsa res in more solo ac specie sita fuerit. Num igitur lationem legis negligenter factam atque ad speciem tantum observatam

esse mirabimur? Ipso id tempore fiebat, non lege ulla, praesertim post legem Maeniam, qua etiam patrum auctoritas ad inanem speciem redacta est. Etenim cum Romae homines ad comitia non cogerentur, sed omnibus abesse liceret (nam hoc recte observavit Mommsenius loco, qui supra citatus est), accidit paulatim, ut ad haec comitia curiata nemo adesset praeter eos, quos ad auspicia facienda adesse necesse erat, lictores curiarum, per quos antiquo more curiata comitia convocabantur (Gell. XV, 27), ut facile credamus, quod Cicero § 31 haec comitia *ad usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum causa adumbrata* esse dicit. Retinebantur tamen ad hanc speciem, ne auspicia antiqua interciderent, non modo quamdiu libera fuit respublica, sed etiam sub imperatoribus, qui quomodo iis ad suam potentiam quasi divino iure confirmandam usi sint, non persequimur. Nam hoc unum nobis propositum fuit, ut Ciceronis verba illustraremus: in quo negotio si paulo longiores fuimus, rei et gravitate et obscuritate excusari cupimus.

VARIETAS LECTIONIS INTEGRA

codicum Lagomarsinianorum undecim, qui his numeris notantur 1, 3, 7, 8, 9, 13, 20, 24, 26, 38, 39.

M. T. C. de lege agraria contra P. Rullum liber primus 1, 8, sed in margine 1 *deficit principium orationis*, 8 *hic deficiunt duae chartae quae faciunt principium huius orationis; 3 M. T. Ciceronis de agraria lege liber primus contra Rullum tr. pl.;* in margine *in quodam antiquo volumine deficiunt duae chartae in principio. Quare hic non est principium orationis*; 7 *M. T. C. de lege agraria contra P. Rutilium*, in margine *deficit principium huius orationis in antiquo codice*, 9 *contra legem agrariam I*, in margine *caret principio;* 13, 20 om. titulum, sed ille in margine *hic deficiunt duae cartae, quae faciunt principium huius orationis*; 24 *M. T. C. de lege agraria orationis fragmentum primum*, in margine *hic deficiunt 2 carte que faciunt principium huius orationis*; 26 *M. T. Ci. de agraria l. contra Rullum tr. pl. liber primus incipit*, in margine eadem quae 3; 38 *M. Tullii Ciceronis de agraria lege contra Rullum tr. pl. incipit l. 1 feliciter*; 39 *M. Tulli Ciceronis de agaria* (corr. *agraria*) *lege contra Rullum tr. pl. incipit*, in margine eadem quae 3.

§ 1. *ea* om. 8. — *enim*] *re* 3 corr. — *Xviri*] *decemviri* 1, 7, 8, 9. — *Alexandri* 20. — *testamentum* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *regnum* om. 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *populi Romani*] *p. r.* 1, 7, 8, 13, 20, 24. — *clam* om. 3 m. p. — *his*] *iis* 3, 7, 8, 13, 20, 24, 26, 38, 39. — *restitisses* 3 corr. — *inmortales* 7. — *sicorum* 1, 7, 8, 13, 24. — *vinulentorum* 1, 7, 20, 24, 26, 38, 39.

2. *capite* om. 24. — *impurus*] *impunis* 9. — *heluo*] *bello* 9; *helluo* reliqui. — *turbet*] *tuber* 1, 3 m. s., 7, 8, 13. — *rempublicam*] *r. p.* 7; *rem. p.* 26. — *relictas* om. 24. — *ac*] *et* 1, 7, 8, 24; *atque* 13. — *dissipet*] *dissipet relictas* 24. — *sit*] *si* 1, 7, 8, 13. — *populi Romani*] *p. r.* 1, 8, 13, 20. — *Xviri*] *decemviri* 1, 3, 7, 9. — *vendent* 20 corr. — *quaerit*] *que* 1. — *afferet*] *affert* 1, 7, 8, 39 corr. — *populi Romani*] *p. r.* 1, 20; *r. p.* 24. — *violabatur*] *violabitur* 3 corr., 20 corr., 26 corr. — *nomen*] *non* 9; *tamen* 24. — *imperium* 9. — *comune* 7. — *hodium* 9. — *sotiorum* 1. — *Xviris*] *decemviri* 1, 7, 9; *decemviris* 20, 38, 39. — *donabatur* 9. — *petitur*] *quaeritur* omnes praeter 9.

3. *vigilians* 20 corr. — *veneat*] *veniat* codices. — *sylva* 3, ut infra. — *scanitia* 26 corr., *scamtia* 38, 39. — *in*] *mihi* 1, 7, 8, 13, 24. — *in censorum*] *itensorum* 7. — *pascuis*] *pauscis* 7. — *quaquam* 7; *quanquam* 9, 24. — *iniqum* 39. — *tamen* om. 1, 7, 8, 13, 24. — *consumme* 7. — *quando* 9; *quoniam* reliqui. — *comodum* 26; *conmodum* 39. — *quandoquidem* 9; *quoniam quidem* reliqui. — *ullum*] *nullum* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *vettigal* 20. — *attingas* om. 24. — *populo Romano*] *p. r.* 1, 8, 20, 38; *populo r.* 3, 9, 39; *p. romano* 24, 26; *populo ro.* 13. — *ornamenta pacis* omnes praeter 9. — *tum*] *tu* 3 corr., 20, 26, 38. — *inhertiorem* 9. — *iudicabis* 3 corr., 26 m. s. — *parta*] *p. r. parta* 1, 8, 13, 20, 24; *populo Romano* 3, 7, 26, 38, 39. — *potuisse*] *posse* 1, 7, 8, 13, 24; *posset* 3 m. s., sed m. tert. *posse*.

4. *possessionis* 20. — *ordines* 24. — *est* om. 3 m. p. — *nullam*] *nullum* 9; *nulla* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *sciliam* 39 corr. — *edifitium* 1. — *reliquit* 3, 26. — *populi Romani*] *p. r.* 1, 7, 8, 13, 20, 24, 39. — *perscriptam* 3. — *a* om. 24. — *tribuno*] *tr.* codices praeter 3, 38. — *Ianuarium*] *Ian.* 1, 3, 13, 26, 38; *Ianuar.* 8, 9, 20, 24, 39. — *dubitabitis* 9; *dubitatis* reliqui. — *iccirco* 3, 20, 38. — *vendiderunt* omnes cod. praeter 9. — *ii*] *hi* 1. — *armis*] *annis* 9. — *peperunt* 39. — *nos*] *vos* 1, 7, 8, 13, 24; 3 m. s. — *venderemini* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24.

5. *quo affectent*] *quoad fecerit* codices omnes, nisi quod *quo adfecerit* 7, *quod ad fecerit* 39. — *apertius*] *aptius* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *Attelensium* 3, 26. — *Olimpenorum* codices praeter 9. — *hos*] *hoc* codices 1, 3, 7, 8, 13, 24. — *populo Romano*] *p. r.* 8, 13, 20; *p. romano* 24; *populo r.* 26. — *P. Servilii*] *servilii* codices, nisi quod 9 *servi.* — *Flamminii* 1, 7, 26, 39; *Flaminii* 3, 8, 9, 13, 20, 38; *Flammini* 24. — *parti*] *parcti* 13. — *fructissimum* 24. — *Corinthum* 7; *et Corynthium* 20; *Corynthium* 38, *Corinhium* 39 corr. — *Mumii* 8, 9, 24. — *populi Romani*] *p. r.* 1, 8, 13, 20, 39. — *Hyspania* 9, 20, 26. — *Chartaginem* 3, item paulo post. — *exumia* 13 corr. — *Affricanus* 24. — *nudatam*] *auditam* 20, 38. — *menibus* 1, 7, 8, 9, 20, 24, 26, 39; *maenibus* 3, 38. — *notandum* 1, 7, 8, 13; *noctandum* 24. — *Carthaginensium* omnes codices praeter 38, nisi quod 3 *Chartaginensium.* — *oblatam*] *ablatam* 9. — *religionem*] *regionem* 1, 7, 8, 13, 24. — *aeternam*] *ecternam* 26.

6. *infilis* 7 corr. — *venditis*] *vendens* 24. — *ornatam*] *ornamenta* 7. — *nobis*] *vobis* 1, 7, 8, 13, 24. — *nostri*] *vestri* 1, 7, 8, 13, 24. — *iubent*] *iubet* codices, etiam 3 m. s.; nam m. p. *iubetur.* — *Mitridates* 3, 9, 26. — *Paphagonia* 7; *paphalagonia* 13. — *Pontho* 9. — *Capadotiaque* 1; *Capadociaque* 3, 7, 9, 13. — *obscurae* 13; *oscure* 39. — *hastam* 24. — *preconi* 20; *pretonis* 24. — *Cn.*] *Gn.* 13. — *Pompei* 1, 7, 26, 39; *Pompoii* 24. — *gerit* 1, 7, 8, 13, 24.

7. *cuiusmodi*] *eiusmodi* 3, 13, 20, 38, 39. — *auctionis*] *actionis* 20. — *constituunt*] *constituent* 9; *constituerat* 1, 7, 8, 13, 24. — *Xviris*] *decem viris* 1, 3, 7, 9. — *ipsis* om. 1, 7, 8, 13, 24. — *lege*] *longe* 7. — *in ultimis*] *ultimis* 24; *in nultimis* 7 corr. — *consumpti* 8 corr. — *faciunt*] *aut in compitis faciunt* 20 corr. — *triviis*] *terviis* 1. — *conpitis* 24; *competis* 26.

— *hic*] *his* 9. — *permietit* 26, 39. — *Xviris*] *decemviris* 1, 3, 7, 9, 20, 26, 38, 39. — *quibus in* 24 m. p., *quibus* m. s. — *comodum* 13; *conmodum* 39. — *tenebris vel tenebris* 7. — *solitudine*] *sol. ut in qua velint sol.* 13. — *populi Romani*] *r. p.* 24. — *vendere*] *divendere* omnes praeter 9 codices, nisi quod 39 m. p. *divende*.

8. *formidulosa* 26. — *Xviralis*] *decemviralis* 1, 7, 8, 9, 13, 24. — *privatum*] *privatim* 1, 7, 8, 13, 24, 3 m. s. — *negocium* 7, 8, 13, 24. — *exierunt* om. 9. — *non summa* 9; *neque summa* reliqui. — *audistis* 3 corr. — *sotiis* 1. — *nostris*] *vestris* 1, 7, 8, 13, 24.

9. *impendere*] *impudenter* 3 corr.; *impendente* 26 corr. — *mictantur* 9; *mutantur* 39. — *in*] *or in* 20 corr. — *Xviri*] *decemviri* 1, 7, 9. — *summo — summa* om. 24. — *et*] *cum fasces* omnes codices praeter 9. — *formidulosi* 24. — *iuditium* 1. — *ferendi* 26 corr. — *etiam*] *et* 24. — *facienti* 7. — *pecunia* 39. — *tamen*] *tam* 9. — *iis*] *his* 1. — *hinc*] *huic* 7. — *omnibus*] *oibus* 39. — *nudationem* 7. — *iuris*] *viris* 7, 9. — *fore*] *esse* 39.

10. *silla* 7; *sylla* reliqui. — *consulibus*] *cons.* 9, 26; *cos.* 39. — *fecerit* 20 corr. — *Xviros*] *decemviros* 1, 3, 7, 9, 39. — *agris* om. 24. — *impone* 7. — *iidem*] *hisdem* 1; *iisdem* 7, 8, 13, 24. — *libere* 9; *et liberare* reliqui. — *comodum* 13; *conmodum* 39. — *et* om. 24. — *quos*] *quod* 20 corr., 39. — *iuditio* 1. — *acerbior*] *an benignior acerbior* 3 corr. — *questusior* 20. — *futura sit* 9; *sit futura* 3 m. p., 20, 26, 38, 39; om. 13; *sit* reliqui. — *inique* 7, 8, 9, 20, 26. — *suspitiosae* 1, 13; *suspitiose* 7, 9, 20, 26; *suspiciose* 8. — *enim* omittunt codices omnes praeter 9. — *in* om. 9. — *vectigal* 9. — *censorium*] *recentoricum* codices, 9 *retentoricum*, ut semper deinceps. — *federe* 1, 7, 8, 9, 20, 24, 26, 38; *faedere* 3; *fede* 39 m. p. — *Affrica* 24. — *ab*] *a* 9. — *Hyempsale* 1, 9; *Hympsale* 7; *Hiemsale* 20, 26, 38, 39.

11. *Hyempsali* 1, 9; *Hyemsali* 7; *Hiemsali* 20, 26, 38, 39. — *satis*] *factis* 1; *fatis* 7, 8, 13, 24. — *federe* 1, 7, 8, 9, 20, 26, 38, 39; *faedere* 3, 24. — *censorius*] *recentori* 1, 8, 13, 24; *recentorius* 3; *recentiori* 7; *recentoricus* ceteri. — *attinet*] *attinuerit* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *fedus* 1, 7, 8, 9, 20, 24, 26, 39; *faedus* 3, 38. — *recentoricus* omnes, nisi quod 13 *recentorius*. — *nonnumquam* 1, 3, 7, 26. — *quem*] *quoniam* 9. — *duas*] *ducis* 9. — *in* om. 24. — *numquisnam*] *hunc quisnam* 9; *nunc quisnam* reliqui. — *obstrusus* 7; *astrusus* 26. — *nummus usquam* 9; reliqui *usquam nummus*. — *unquam* 1. — *non* om. 3. — *huisisce* 24, *huiuscae* 38. — *lege* 38. — *olfecerint*] *feecerint* 1; *olfecerunt* 7; *defecerint* 9; *obfecerint* 26, 39, 13 m. s. — *provintias* et *sotios* 1. — *exauriunt* 20, 38. — *ammovent* 1.

12. *qui* om. 24. — *amplixime* 39. — *iuditio* 1. — *et — quod ad* om. 7. — *gexistis* 9. — *quenque* 13, 24; *quem* 20. — *praeda et ex* 13. — *manubiis*] *manubus* 13, 20 corr. *manibus*, quod 24 habet. — *eonorario* 20. — *neque*] *denique* 24. — *momento* 1, 3, 7, 8, 13, 24. — *sit*] *fuit* 9; om. 24. — *Xviros*] *decemviros* 1, 3, 7, 9. — *omnis* codices praeter 7. — *heredumque* 1, 3. — *iuditio* 1. — *conparantur* 39 m. p., m. s. *conparant*. — *ablaturo* 24. — *iurati*] *virati* 7. — *Xviri*] *decemviri* 1, 3, 7, 9, 39. —

suscipient] *suscipere* 7 m. p., 8, 9, 13 m. p., 20, 24; *suscepere* 1, 3, 7 m. s., 13 m. s., 26, 38, 39. — *iccirco* 3, 20, 38. — *servata* 7.

13. *relinquum* 13. — *quod* om. 1, 7, 8, 13, 24, 3 m. s. — *habeat*] *quod habeat* 1, 3 m. s., 7. — *Xviros*] *decemviros* 1, 3, 7, 9. — *eiiciuntur* 1, 7, 20, 24, 38, 39; *reiiciuntur* 26 corr. — *unos* 9 corr. — *benefitio* 1. — *sed*] *se* 24 corr. — *privatus* 1, 3 m. s., 7, 8, 24. — *sed*] *si* 1, 7, 8, 13, 3 m. s., *si sed* 24. — *remictit* 9; *remitti* 24. — *in* om. 3 m. p., 9, 20, 38, 39. — *invadat* 1, 13. — *hac*] *haec* 24. — *Xviros*] *decemviros* 1, 3, 7, 9. — *eos*] *eius* 9. — *nobis* 9; *Cn.* reliqui. — *adiuxerit* 7; *adiunxerint* 8, 24.

14. *atque* 9; *et* ceteri. — *Xviralem*] *decemviralem* 1, 3, 7, 8, 9, 13, 24. — *invidie pecuniae* 20 corr. — *eidem* 1, 7, 8, 13, 20, 24, 26, 38, 39. — *Xviri*] *decemviri* 1, 3, 7, 8, 9, 13, 20, 24, 38. — *facito* 1, 7, 8, 13, 24. — *caeteros* 3, 13, 24, 26. — *vendes*] *emes* 1. — *utrunque* 3, 9, 13, 38. — *horum*] *hoc* 3 corr. — *faties* 1. — *emat*] *amat* 20. — *ab invito* om. 24. *iniuriosum*] *numerosum* 1, 7, 8, 13, 24. — *non* om. 3 m. p. — *ommittam* 7; *omictam* 9. — *prope* 9; *probe* ceteri. — *iddem* 13. — *caeteri* 3, 13, 38. — *commutet* 1, 7, 8, 13, 24; *committent* 20. — *vir*] *viae* 24.

15. *prospicito* 13. — *intollerandam* 1, 7, 13, 24, 26, 39. — *est* om. 3 m. p. — *ii*] *hi* 1, 7. — *invitis*] *invidis* 9. — *refertur* 7, 24. — *vetant* 3 corr. — *quod*] *quidem* 39. — *emi*] *emisi* 1; *enimi* 24 corr. *eimi*. — *si*] *sin* 3 corr. — *aerarium effundamus* 1, 7. — *errarium* 24. — *locuplectatis* 1, 7, 8, 13, 20 corr., 24. — *aut*] *ait* 24. — *possessionibus* 3 corr.

16. *istis* 3 corr., 26. — *agris* 3 corr., 26. — *quot*] *quo* codices. — *quae loca*] *quo loco* 9. — *colunis* 24. — *esse* om. 24. — *haec omnia esse consideranda* 1, 7, 8, 13. — *etiam* 9; *omnia* reliqui libri ms. — *et* om. 24. — *harum rerum* 9; *harum omnium rerum* reliqui. — *traducturos* 7. — *existimati* 24. — *quam*] *qua* 20. — *colonis* 20 corr. — *omnibus* om. 3 m. p. — *vinculis* 3, 13. — *devictam* 9, 20, 38, 39; *devinctas* 26 corr. — *ianiculos* 20. — *conloniam* 20. — *commictam* 9; *comittam* 13; *omittam* 20; *conmittam* 39. — *ut* om. 24 m. p. — *benefitio* 1; *benificio* 39. — *potius*] *prius* 20. — *quam*] *ut quam* 24 corr. — *nostro*] *vestro* 3 — *possumus* 26 corr.

17. *quod* 9; *quid* reliqui cod. — *conplere* 39. — *cuiusmodi esset neminemne nostrum* omnes cod. praeter 9. — *cxistimatis* 1, 3, 7, 8, 13, 24; *existimastis* reliqui. — *Xviri*] *decemviri* 1, 3, 7, 8, 9, 13. — *deducent* 39 corr. — *iis*] *his* 1. — *assignant* 1; *assigent* 7. — *cum* om. 39 m. p. — *nobis*] *vobis* 1, 7, 8, 13, 24. — *suspitionibus* 1, 7, 9, 13, 20, 26.

18. *omnes* 24. — *iam*] *nam* 1, 7, 8, 9, 13, 24. — *ostendetur* 3 m. p., *ostendet* m. s., *ostenderit* 7. — *huius* om. 24 m. p. — *sedem*] *seriem* 1, 7, 8, 13, 24, 3 m. s. — *Iovis* om. 39 m. p. — *optumi maxumi* 39. — *artem* 13. — *dedici* 24. — *rursus huic urbi* 39. — *imponere* 1, 7, 3 m. s. — *suas*] *suam* 39 corr. — *trasferre* 20; *trasfere* 24. — *habundantiamque* 1. — *superbia* 24. — *coloni*] *colonii* 9. — *dilecti* 1. — *acinus* 24 m. s. — *Xviris*] *decemviris* 1, 3, 7, 8, 9, 20, 38. — *in veteri*] *veteri* 3 m. p.; *in veri* 20. — *rerem* 24. — *vestri*] *nostri* 39. — *modesti* 9; *modeste* reliqui.

19. *nostra* 24 corr. — *Capuea imagistratus* 24 corr. — *comune* 7. —

insigna 20 corr. — *reipublicae*] *populi r.* 9. — *substulerunt* 1, 7, 24. — *quitquam* 1; *quicquam* reliqui. — *nisi* om. 24. — *reliquaerunt* 13. — *externis*] *hesternis* 1, 7, 8, 24. — *videbant*] *iubebant* 7. — *si quod* om. 3 m. p. — *menibus* 1, 7, 8, 9, 20, 24, 26, 38, 39; *maenibus* 3. — *avertere* 20. — *rempubl.*] *rem* 13. — *ac*] *ac vobis* omnes praeter 9 codices. — *perniliosa* 1, 7, 8, 9, 13, 20, 24, 26, 39 corr.

20. *Hanibalem* 7, 13, 26. — *Capuae* 9; *Capua* reliqui. — *superbia*] *surberbia* 9, corr. *surperbia*. — *nata*] *mihi nata* 7. — *esse ibi* 9; *mihi esse* 1, 20 m. p.; *inibi esse* reliqui. — *ex*] *haec ex* omnes codices praeter 9. — *urbi* om. 24. — *isto* 20 corr. — *apponitur* 9. — *at*] *atque* 3 corr., 26. — *inmortales* 7. — *quicquid*] *quid* 3 corr. — *potuit ipsa* om. 7. — *Capua* 7. — *colonis*] *coloniis* 1, 7, 8, 13, 24. — *Xviros*] *decemviros* 1, 3, 7, 9. — *permictit* 9. — *ipsa*] *ipsa illa* 1; *ea* 7. — *opida* 9. — *colonos*] *colos* 3. — *Xviri*] *decemviri* 1, 3, 7, 9. — *his*] *iis* 39. — *ac*] *et* 1, 7, 8, 13, 24.

21. *queror*] *quero* 7; *quaeror* 13. — *diminutionem* codices, etiam 3, qui *dimminutionem*. — *flagium* 7, 20. — *praemitto* codices praeter 3, 39. — *gravissima* — *verissima* omnes codices. — *conquaeri* 13, 38. — *nos*] *vos* 1, 3, 7, 8, 13, 24. — *capud* 7. — *matrimonii* 24. — *subsidio* 9. — *positum vectigal servare* omnes codices praeter 9. — *eum*] *cum* 13, 20, 24, 38. — *nos*] *vos* 1, 3, 7, 8, 13, 24. — *agrum*] *agrum publicum* 7. — *P.*] *pu.* 1; om. 7. — *sillane* 9, 24; *syllanae* reliqui. — *damnationi* 7. — *Graecorum* 3, 8, 9, 24, 26. — *solum dico hoc* 24. — *solum hoc* 1, 7, 8, 13, 20, 26 m. s., 38. — *ammissis* 7. — *con conquiescat* 7. — *substentet* 1, 7, 9, 24, 39. — *conctioni* 9. — *ac*] *et* 1.

22. *nobis*] *vobis* 1, 3, 7, 8, 13, 24. — *republica*] *r. p.* 13, 20; *rempublicam* 39. — *dignitate* 24. — *ii*] *hi* 1. — *imbroborum* 9. — *omnibus cum copiis* 24 corr. — *circa*] *arca* 24. — *ego*] *ergo* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *vehementer*] *vehementer p. r.* 20, 38. — *iam* om. 1, 3 m. s, 7, 8, 13, 24.

23. *collegie* 20. — *obstentatione* 13, 26 corr. — *posse*] *esse* 7 corr. — *concionem* 26. — *populo Romano*] *p. r.* 9. — *discectatore* 3 m. s., *disceptare* 9. — *circunspiciamus* 9, 20. — *iocunda* codices. — *ocium* codices praeter 1 et 39. — *solicitam* cod. praeter 1, 7, 8, 24. — *suspitione* 1, 9, 13, 20, 24, 26; *supensione* 7. — *vestris*] *nostris* 39. — *seditionibus*] *dedicionibus* 9; *deditionibus* reliqui cod. — *republica*] *r. p.* 39. — *substulistis* 9.

24. *metu* 7, 9, 24 m. p., *motu* reliqui. — *populo Romano*] *p. r.* 8, 13, 20; *populi r.* 9. — *illuxeris* 24; *inluxerit* 26, 39. — *nulla venditionem* 7. — *Xvirale*] *decemvirale* 1, 3, 7, 8, 9, 13, 20, 24 (sed *decemvirali*), 38. — *ocii* omnes praeter 1, 39.

25. *a*] *et a* 3. — *tribunis*] *tr.* 1, 24, 39. — *plebis*] *pl.* 39. — *fiant*] *fiant ostendero* 1, 3 m. s., 7, 8, 13, 24. — *pertimescant* 9. — *credo* om. 24. — *conctione* 9. — *presertim* omnes praeter 3, 38, 39. — *ac* (non *et*) *libere* 13. — *provintiam* 1. — *honorem neque* om. 20. — *exornamentum* 39. — *comodum* 13; *conmodum* 39. — *tribuno*] *tr.* 1, 8, 9, 13, 20, 24, 26. — *appetiturus*] *adepturus* 1, 7, 8, 13, 24, 26, 3 m. s. — *sim*] *sum* 9.

26. *dicit*] *diem* 3 corr. — *consul*] *cons.* 1. — *Cal*] *Kalendis* 7; *KL* 39;

id. 20, 38. — *Ian.*] *Ianuar.* 24. — *aliud*] *aliquod* 3 corr., *aliquid* 20, 26, 38, 39; *illud* 24. — *negocium* 3, 7, 8, 13, 24, 38; *nego cum* 20. — *provintiam* 1. — *sic me*] *siccine* 9. — *geram*] *gieram* 39. — *populi Romani*] *populum r.* 9; *p. r.* 1, 7, 8, 13, 20, 24, 26, 39; *populo Romano* 3, 38. — *tribunum*] *tr.* 9, 20, 24. — *cohercere* 7, 8, 9, 24. — *contempnere* 20. — *inmortales* 7. — *tribuni*] *trib.* 39. — *deserte* 3 corr. — *illos*] *eos* omnes praeter 9, sed 20 m. p. *vos*. — *nisi*] *non* 1. — *perspicitis* 9, 20, 26, 38, 39. — *comunem* et *comuni* 7. — *rempubl.*] *rem* 20. — *occulta* om. 24. — *multa vulnera* 1, 7, 8, 13, 24, 3 m. s. — *pernitiosa* cod. praeter 38. — *extremum* 1, 3 corr., 7, 8, 13, 20, 24, 26, 38, 39 corr. — *pertimenda* 1, 7.

27. *dicentur* 9. — *dicuntur a me* omnes praeter 9. — *deliciis* 9; *delictis* reliqui. — *non*] *et* 13. — *contionibus* 1, 3 corr. — *spe*] *specie* 20, 26 corr., 38, 39. — *me habeat ipsum* 13; *habeat ipsum me* 9; *habeat me ipsum* reliqui. — *quem*] *quoniam* 9. — *equaestri* 13. — *facilime* 1, 20, 38. — *comunem* 7. — *perfitiam* 1. — *candem* 7. — In exitu: *finis* 8, 24; *M. T. Ciceronis in sen. Kl. Ian. de agraria lege contra P. Rullum liber I explicit* 26; *M. Tullii Ciceronis in senatu Kl. Ian. de agraria lege contra Rullum liber primus explicit* 38; *M. Tulli Ciceronis Kl. Ianuaris de agraria lege contra Rullum liber primus explicit* 39.

ORATIO ALTERA

M. T. C. de lege agraria contra P. Servilium tr. pl. liber secundus incipit 1, 8; item 3 nisi quod *P. Rullum* habet; *de lege agraria contra P. Servilium Rullum* 7; *contra legem agrariam II.* 9; sine titulo 13, 20; *M. T. C. de lege agraria oratio II. incipit* 24; *incipit II.* 26; *incipit secundus feliciter* 38; *incipit secundus.* 39. In margine 1, 3, 8, 13, 26, 39 habent haec: *In exemplari vetustissimo hoc erat in margine* (haec desunt in 1, 8, 13, 26) *Emendavi ad Tyronem* (1, 8 *Tironem*) *et Lactanianum* (*Letanianum* 1, 8, 13; *Laccanianum* 39). *Acta ipso Cicerone et Antonio couss.* (*cos.* 1, 8; *cossi* 39) *Oratio XXIIII. In exemplo* (*exemplari* 1, 8, 13) *sic fuit Statilius* (*Stabilius* 13) *Maximus rursum emendavi ad Tyronem* (*tironem* 39) *et Lactanianum* (*Letanianum* 1, 8, 13; *Laccanianum* 39) *et dom et alios veteres III. Oratio eximia.*

§ 1. *positum Quirites* om. 20, 38. — *institutuque* 20 corr. — *hi* 9; *ii* reliqui. — *benif.* 39 et sic semper. — *primum* 9. — *orationem* 3 corr., 9, 20, 26, 38, 39, reliqui *contionem*. — *laudem* 7. — *ratione* 9, 20, 26, 38, 39. — *nonnulla* 20 corr. — *debitum*] *oblitum* 7. — *solveretur* om. 1, 7, 8, 13, 24. — *quidem*] *que* 1, 7, 8, 13, 24. — *non quo non*] *nam quod* 24; *non quod non* 1, 3 ex corr., 7, 8, 13. — *fuerunt* 20 corr. — *vos* 1, 7, 8, 13, 24. — *sanguine discipulos videtis institutos, sed* 9; *sanguine* (sed *sanguinem* 24) *creatos disciplinisque institutos videtis sed* reliqui cod. — *laudi* 26.

2. *dicere*] *dice* 39 corr. — *consecutus*] *cum secutus* 24. — *conmemorare* 39, et semper — *silore* 26 corr. — *benefitiis* 1; *benif.* 39. — *adhibetur* 7 corr. — *accoeperim* 13; *acceperim* 24. — *summo vestro honore* 7. — *sim* praeter 9 omnes cod. post *iudicio* habent. — *ipse* 3 m. s. addit. — *eadem* 3.

3. *temporumque memoriae nostrorum* 24. — *nobilitas praesidiis firmatum* omnes cod. praeter 9. — *rescdistis* 3 m. pr. — *patere*] *parere* 9. — *me* om. 3 m. pr. — *tantumodo* 38. — *quod est ipsum* omnes praeter 9 cod. — *sese* 1, 7, 8, 13, 24. — *consules in hac civitate* 9; *nobiles in hac civitate consules* reliqui. — *me* om. 39 m. pr. — *recordare* omnes, etiam 39 m. sec.; nam m. pr. habebat *recordae*. — *volueris* 38 corr. — *reperitis* 24 corr. — *serius*] *inferius* 3, 9, 20, 26, 38, 39. — *petierunt*] sic 3 m. pr., reliqui *petierint*. — *qui*] *quam* 20 corr. — *petierim*] *petierint* 7. — *primum petierim*] *petierim* 39; *primum potuerim* 9. — *occasione*] sic 9; *ad alienae petitionis occasionem* reliqui. — *praecibus* 13, 38; *precipus* 7. — *dignitati* 9.

4. *amplissimum*] *iam amplissimus* 7 corr. — *Qurites*] *quare* 20, 38. — *hoc*] *hoc hoc* 8. — *posthabitis*] *post annis* 1, 7. — *effecistis* 26, 3 corr., 7 corr. — *ornatius*] *honoratius* 9. — *vindicem*] *iudicem* 1, 7, 8, 13; *undecim* 24. — *tacite* 1, 7, 8, 9, 20, 24, 26. — *indicem*] *iudicem* 3 corr. — *vestrarum*] *vestrum* 3, 7, 13, 20, 24, 38, 39. — *me* om. 3 m. pr. — *non extrema tribus suffragiorum* omnes cod. praeter 9, in quo pro duabus vocibus *extrema tribus* lacuna est. — *primi*] *primum* 39. — *neque*] *ne* 3 corr. — *unam vocem* 39 corr.

5. *tam ego* 3. — *benefitium* 1; *benificium* 3, 39. — *Quirites* inscribit *o* 9 et sic semper deinceps. — *cum*] *tum* 26. — *laetitiam*] *ad laetitiam* 3 m. s. — *duco*] *dico* 13. — *permaximum* 3 corr., 26. — *tum*] *tam* 3 corr. — *solicitudinemque* 1, 7, 24, 39; *et sollic.* 26 corr. — *neque diurnae neque nocturnae* omnes cod. praeter 9, nisi quod *diuturnae* 3. — *quietis*] *cogitationis* 9. — *impartiunt* 1, 7, 9, 26. — *omibus* 7. — *recte*] *recto* 3 corr., 7 corr., 26, 39. — *et ab invitis* omnes praeter 9. — *invidis* 7 m. p., m. s. *inviti*. — *proponatur* 3 corr.; *preponatur* 9, 26; *praeponitur* 1, 7, 8, 20, 24, 38; *proponitur* 13, 39. — *non*] *ideo* 3. — *subsidium*] *consilium subsidium* 26 corr.

6. *adducere* 8, 13, 24; *adduce* 39 corr.; *deducerer* 3 corr. — *esse* om. 1, 7, 8, 13, 24. — *me* om. 3 m. pr. — *perpetienda*] *propterea tuenda* 3 corr. — *accedit*] *accidit* 3 corr., 26. — *mihi ille* 7. — *qua*] *quae* 3 corr. — *consulibus* om. 3 corr. — *lege et conditione* omnes praeter 9. — *utendam* 8, 13, 24. — *aditum*] *auditum* 1. — *aspectumque* 3 corr. — *non vehementer* omnes praeter 9. — *in loco* om. 1, 7, 8, 13, 24. — *est id dictu* omnes praeter 9. — *facilimum* 20, 38. — *mea illa* 1, 7, 8, 13, 24. — *Kal.* omnes, sed *Kls* 9. — *Ianuariis* 9; *Ian.* reliqui. — *dixi* om. 13.

7. *cum*] *tum* 24. — *potentum* 8. — *non*] *non non* 20. — *Romani* om. 7. — *praeponeret* 1, 7, 8, 13, 24. — *non*] *nam* 20, 38. — *et*] om. 39 m. pr. — *interpretratione* 7, corr. *interpetatione*; *interpretionem* 20 corr. — *opus*] *esse opus* 7 corr. — *error*] *errore* 24 corr. — *comoda* 7, 13; *conmoda* 39. — *ut* om. 24.

